E G

Digitized by Google

Med 246

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

[redacted]7568

Digitized by Google

FL. VANHOUCK
BOEKBINDER

Google

D. PAUL. HENR. GERARD. MOEHRINGII,

M E D I C I,

Med 246

Ex Academia Imperiali Nat. Curioſorum, & Comm. litt. Phyſ. Techn. Med. Norimb. Sodal.

HISTORIAE MEDICINALES,

Iunctis fere ubique corollariis, praxin Medicam illuſtrantibus.

Cum Tabb. aen.



A M S T E L O D A M I,
Impenſis ZACHARIAE ROMBERG,
A. R. S. CIƆIƆCCXXXIX.

Digitized by Google

Illuſtr. HAMILTON:

MEdici honeſti & prudentis eſt, ſe uiſitationibus adſiduis praebere diligentem, ne uideatur ludere, & cum ſua arte, & cum corio humano. . . . Demum & in conciliis medicis ſuauitate morum ſe generoſum probare . . . . Sunt, qui ſua praeſcripta nimis cito uariant: nulla alia mouente cauſſa, praeter metum adficiendi taedio aegrum, & ne ipſi parui pendantur, ex eiusdem medicamenti uſu diuturno. Vnde fit, ut dum uideri uolunt complacentiores, remediorum operationem obſeruandam, ſibi ipſis praecludant. Et ſi primo loco fortaſſe ſuaſerunt aptiora; recedendo ab illis, reuera ſunt inimici; non contra morbum, ſed aegrotum militantes.

VIRO PERILLVSTRI,

Med 246

Dom. ANDREAE ELIAE BVCHNERO,

SACRAE CAESAREAE MAJESTATIS ARCHIATRO,

S. PALATII LATERANENSIS, AVLAE CAESAREAE, & IMPERIALIS CONSISTORII COMITI, S. R. I. NOBILI,

ACADEMIAE IMPERIALIS LEOPOLDINO-CAROLINAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDI,

MED. DOCTORI, EIVSD. AC CHEMIAE IN PERANTIQVA GERANA ACADEMIA PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO, & FACVLTATIS MEDICAE ADSESSORI,

Digitized by Google

PRO BENEVOLA ATQVE SPONTANEA INTER NATVRAE CVRIOSOS ACADEMICOS ANTE TRIENNIVM FACTA RECEPTIONE PVBLICA,

AC SEORSIM

PRO HVMANISSIMIS ALIIS OFFICIIS GRATITVDINEM ANIMVMQVE DEVINCTISSIMVM TESTATVR,

SVMMVMQVE SIMVL NVMEN VENERATVR,

VT FAVSTOS ET FORTVNATOS EIVS LABORES ESSE IVBEAT, AC DIV INCOLVMEM SERVET ATQVE SOSPITEM;

LEVES HASCE, AST FIDO CALAMO CONSCRIPTAS OBSERVATIONES SACRAS CVPIENS

DIOCLES II.

I. E-

Digitized by Google

LECTVRO AVCTOR.

AB eo tempore, quo, leues meas, qualeſcumque etiam fuerint, ad *Academiam Naturae Curioſorum*, & *Commercium litterarium Phyſico-Technico-Medicum Norimbergenſe* miſſas, *illorumque Commentariis* inſertas obſeruationes, bonis haut plane inadceptas fuiſſe reſciui, in animum confeſtim induxi, ut ſymbolo noſtro publico: NVMQVAM OTIOSVS, pro uiribus, quas diuina clementia huc usque largita eſt, ſat agerem. Quem in finem,

e ſchedis meis, morborum, curae meae commiſſorum, hiſtorias, ſimplici, planoque ſtylo ſymptomata enarrantes, & ex iis faſciculum, cum publico ſeorſim communicandum, ſelegi. Ac fore, ut quaedam in iis occurrant, quae publicum commodum, proximi ſalutem pariter, ac ſecundam ualetudinem promouere tueriue queant, niſi me omnia fallunt, ſpero.

Placuit autem prae ceteris, quin immo perplacuit inclutorum *Medicorum Sileſiacorum* methodus, quorum *Satyrae*, communi eruditorum plauſu atque conſenſu exceptae, eum magis oportunum arbitrati ſunt ordinem, qui e praemiſſis nudis morborum relationibus hiſtoricis, facta maturo iudicio ad caſus ſimiles adplicatione, adpropriata corollaria prono eliceret flumine ac deriuaret; quibus fieret neceſſum erat, ut, primo ſtatim conſpectu, expoſitae utilitas obſeruationis in ſcenam prodiens, ſua commoda ſoli ob-

obuerteret, poſterisque liquido relinqueret.

Obſeruationum ſeriem eo nexu ſcriptam uolui, qualem in mſcto meo inueni, nullo ad corporis uarias regiones, aliasue morborum diuiſiones, reſpectu habito. Fieri enim commode non poterat, ut morborum ſyſtema conderem, quoniam, hoc uolumine primo benigna fronte excepto, plurium ſucceſſiue in uulgus edendorum facultas ſupereſt, quae eas proponant aegritudines, quae terrae patriae familiares deprehenduntur.

Tandem ſcire, Lector beneuole, refert, regionem noſtram ſub tertio quartoue ſupra quinquageſimum gradum polaris eleuationis ſitam, oceani ſeptemtrionalis adcolam eſſe, plurimasque dynaſtiae Ieueranae praefecturas terra ſoliſſima, argillacea, pingui conſtare, ut adeo frigore, ac frequenti humidita-

te, & uentorum borealium uehementia, uarias alias terras ſuperemus, atque proin medicaminum doſibus paullo fortioribus, quam in climatibus calidioribus aeque, ac arenoſis, indigeamus.

Adnuat coeptis diuinum gratia ſua numen. Scribebam Ieuerae Friſonum, d. 16. Maii, 1739.

OBSERVATIO I.

CARCINOMA VTRIVSQVE MAMMAE GANGRAENOSVM, LETHALE.

VXor, 25. annorum, cholerica, macilenta, procera, 1735. *Junio*, prima vice grauida, cuidam adeo rei indignabatur, ut, ſenſu motuque confeſtim abolito, humi corrueret, ac in epilepſiam delaberetur. Sponte ab hoc morbo liberata, paruos in mammis duroſque nodos adcipiebat, ceteroquin ſana.

Auguſti principio *menſis* foetum enixae mammarum nodi duriores reddebantur, ipſaeque in molem grandem extenſae, ac molles euadentes, foueam digitis impreſſam retinebant. Inter haec, lacte recedente, pharmacopoeus quidam emollientia ſine ullis reſoluentibus imponens, malum adaugebat.

Medio fere *Septembris* a cheirurgo quodam hoc ipſi praeſcribebatur emplaſtrum:

Rec. Empl. emollient. citr. libr. ſem.
Camph. drachm. 1.
M. f. l. a. Empl. d. ad cerat.

Quod ultra menſem utrique adplicatum mammae, nullum prorſus effectum dabat.

Itaque, dum haec agebantur, conuocatus infauſtis auibus, carnificis ſeruus, famoſiſſimus heic terrarum eo temporis interuallo ἀγύρτα, ſuppurationem fieri miſerae perſuadebat aegrotanti, quae auxilii cupidiſſima, *initio Octobris*, altera in mamma, paullo infra fuſcam papillae areolam, inciſionem fieri ſinebat, e qua, praeter ichorem liuido-atrum, cancroſum, nil effluebat. Minime uero praetermittendum eſſe duco, locum ſectionis colore ex rubro ac caeruleo nigricante praeditum fuiſſe, unde cancri occulti praeſentiam perito facile iudicare licuiſſet. Sed ea plerumque mortalium conditio, ut morbis adflicti, audacibus ſe circumforaneis, quam probis committere medicis malint. Canente tamen poëta, (a)

non diſcriminis aequa
Conditio: ille miſer moritur, cauſſamque canendi
Linigeris raſis praebet, caluisque cucullis.
Hic alius contra ſceleris mercede recepta,
Cauſſatur ſuperos, ac fatis imputat ipſis
Si quis obit, laetusque implet multo aere crumenam.

Et paullo poſt:

Vos

(a) V. Palingen. *Zodiac. vit. p. m.* 111. *in Leone.*

Vos quibus imperium eſt, qui mundi fraena tenetis,
Ne tantum tolerate nefas, hanc tollite peſtem,
Conſulite humano generi: quot nocte dieque
Horum carnificum culpa mittuntur ad orcum?
Vel perfecte artem diſcant, uel non medeantur.

Enarrato huic ulceri, male cognito, ac peius aperto, alius, cheirurgi aeque minus, ac primus, nomine dignus tonſor, alumen uſtum & mercurium praecipitat. rubrum adplicabat: ea enim dementia erat, ut carnem ſpongioſam e uulnere excreſcere opinaretur, quamuis uel ſolum hocce phaenomenon, quod aegrotans nullo per omne hocce tempus dolore in mammis uexata fuerit, cautum prouidumque illum reddere debuiſſet.

Interpoſito aliquot dierum ſpatio, rude ac ſtupidum hocce hominum genus, occultum in ulceroſum cancrum eſſe mutatum, animaduertebat. Supra memoratus igitur pharmacopoeus denuo adcerſebatur, qui vitriolum album, aqua ſolutum, cum linteis admouebat, ac poſt ea ſpiritu vini gallico vulnus abluebat. Quibus factis, magnae ſenſim portiones decidebant.

Vetus eſt: Sero ſapiunt Phryges. Et Ovidius haec habet:

Vidi ego, quod fuerat primo ſanabile vulnus,
Dilatum longae damna tuliſſe morae.

Qui mox ſubiungit:

Inter ea tacitae ſerpunt in uiſcera flammae:
Et mala radices altius arbor agit.

Quum

Quum enim quinque fere menſes funeſtus hicce morbus iam duraſſet, ad me tandem *d.* 31. *Octobr.* conſilii gratia adcedebant. Petebam triſtem feminam, in pago, milliare unum a ciuitate noſtra diſtante, commorantem. Sed quam teterrimus adſpectus! Siniſtram enim mammam adgreſſus, huius dimidiam, & quod excurrit, inferiorem partem iam exeſam, & cancroſam, & gangraenoſam, & ſphacelo ad intercoſtales usque muſculos emortuam inueniebam. Vlceris longitudo dimidium circiter cubitum, altitudo quartam cubiti partem, & profunditas dimidium pedem rhen. aequabat. Haec de locis, ſphacelo correptis, computatio valeat.

Papilla aberat, tenuisque ac copioſus, & fetidiſſimus, atque liuido-ater ichor ex ulcere promanabat. Eiusdem reliqua mammae pars, communibus adhuc obtecta integumentis, & pallide crocea, & brunna, & fuſca erat. Quibus omnibus maculae plures gangraenoſae in cute, neque minus dilatata ſanguifera uaſa, liuida, collapſa, obſolete caeruleum uehentia cruorem iungebantur. Aperto ex ulcere uapor tam intolerabilis fetoris adſcendebat, adſtantes ut animi fere deliquium incurrerent; nec ullus ultra 4. minutorum ſpatium in hypocauſto permanere poterat, fragrantiſſimi licet ſuffitus ſpargerentur.

Veniam nunc ad dextram mammam. Quae licet adeo grauiter adfecta externe minus videretur, detecta tamen bina in eadem ulcera, floreni magnitudine imperialis apertura donata, eiusdem plane indolis fetorem pariter, ac colorem oſtendebant, ſtyloque explorata intus ſphacelata deprehendebantur. Pertingebat ſtylus ad coſtas &

ſter-

ſternum, per omnem fere interiorem mammae ambitum, ubi omnia deſcripto ichore plena erant.

Quodſi iam haec cum reliquis, quae aderant, ſymptomatis, ardore ſcilicet ac aeſtu febrili ſummo, carotidibus celerrime ac vehementisſime pulſantibus, anxietate maxuma praecordiorum, ſpiritu profundo atque calente, aegrotae facie Hippocratica, & uiribus, morbi tam longitudine, quam uehementia exhauſtis coniungimus, unusquisque facile poterit iudicare, quanam ego ratione ductus, ultra νυχθήμερον uix aegrotantis uitam amplius duraturam praedixerim, cui quoque prognoſi euentus reſpondebat: altera enim ueſpera ſupremum obibat diem.

Ceterum ualde dolui, homines iſtos deſideratae opi tam longas dediſſe moras. *Niſi* enim tam anguſtum modo uitae ſpatium ſuperfuiſſet, aliquid forte cum cortice Peruuiano (*b*) tentare licuiſſet.

Et liquet abunde quoque ex praedictis veritas adſerti Hippocratis *aphor. L. VI.* §. 38. Quibus cancri occulti oriuntur, eos non curare praeſtat. Curati namque citius pereunt, non curati vero diutius uitam trahunt. Quibuscum Galenus *Commentar. ad dict. aphor.* conuenit, quotquot enim cancros huiusmodi, inquiens, curare ſunt adgreſſi, magis irritaſſe, breuique homines necaſſe ſcio.

OB-

(*b*) *Conſ.* Jac. Douglass. tract. *A ſhort Account of Mortifications*; Jo. Shipton *de uſu corticis Peruuiani ad gangraenam & ſphacelum*, inſert. *Transact. Angl.* 1732. *Nou. & Dec.* & ex iis *Comm. litterar. Norimb.* 1734. *hebd. V. p.* 36 *ſqq. & hebd. LII. p.* 414. *ſqq.* it. Abr. Vateri Diſſ. *de efficacia admiranda Chinchinae ad gangraenam ſiſtendam in Anglia obſeruata. Vitemb.* 1734. 4.

OBSERVATIO II.

MENSIVM SVPPRESSIO CVM VOMITV CRVENTO, FEMORIS CONTRACTIONE AC ATONIA &c.

A. 1735. *d.* 26. *April.* ancilla robuſta, laborioſa, uiginti quinque annos nata, ad me adcedebat, ut uariis ſuis morbis mederer. Huic ante aliquod tempus agyrta quidam, inſtante fluxus tempore, proxume ante nouilunium, multum ſanguinis e pede detraxerat, a quo momento plenaria menſium ſuppreſſio exorta erat. Iam vero continuis conatibus, nigrum ac grumoſum cruorem e uentriculo eructabat, maiorique non nunquam in copia, profluuii muliebris praeſertim tempore, euomebat. Praeter ea proxume a prandio mirum inflabatur in abdomine, ac ſiniſtrum latus tam in pectore, quam infimo uentre conſtanter liuido caerulaſcente tinctum erat colore.

Aluus communiter tarda. Sed, quod peſſimum erat illi ſymptoma, femoris ſiniſtri ſumma rigiditas, inmobilitas, atonia tantum efficiebant, ut ſola neque inſtare huic pedi, neque progredi cum illo poſſet, quin immo aliorum innixa humeris, inſigniter ob eiusdem ſurſum factam contractionem ac eleuationem claudicare deberet. Tandem quoque quolibet pomeridiano tempore tot in toto abdomine cruciatus ſentiebat, ut pectore & abdomine prorſus incuruatis, maxumis ſub uociferationibus ſedere neceſſum haberet. Siue prandium capiebat, ſiue minus, dolores iidem manebant,

iuſta-

iuſtaque hora reuertebantur. Haec itaque praeſcribebam:

Rec. Elix. uitriol. Mynſ. unc. ſem.

D. hora 10. antemer., & 8. veſpertina 30. guttae.

Rec. Pulu. lumbr. terreſtr. ſcrup. 1.
Tal. lepor. uel oſſ. cuiuscumque animal.
Cinnabar. nat. ana ſcrup. ſem.

M. f. l. a. pulu. D. in ſextuplo, ſumat hora 7. matut., & 4ta pomerid. unum.

Rec. Extr. panchym. Croll.
Maſſ. pil. de ſuccin. Crat. ana gr. XXIV.
Mercur. dulc. ex partib. anat. parat. gr. XII.
Reſin. Jalap. gr. VIII.

M. f. c. Elix. propr. ſ. acid. ex ſcr. 1. pil. XV., conſp. pulu. lycopod. D. tertia quauis veſpera X, totidemque altero mane; diebus uero uacuis pulueríb. ac elixirio utatur.

D. 5. *Maii* nuntiabatur, inflationem abdominis euanuiſſe, liuido-caeruleum ſiniſtri colorem lateris, neque minus pomeridianos dolores imminutos eſſe, nec ſanguinem tanta ui, neque copia, neque tam ſaepe eructari, ac quidem antea factum fuiſſe, ſuperius commemoraui. Pilulae autem aluum non aperuerant, femorisque mala eodem gradu perſiſtebant. Vtrique igitur indicationi maiori

ri efficacia ſatis acturus, haec ſequenti die propinanda curabam:

Rec, Reſin. Jalap. ſcrup. ii.
ſolu. in
Spir. iuniperin. q. ſ.
add.
Syr. violac. drachm. 1.

M. D. alterno mane 60. guttae, uel plures, usque-dum aluus reſpondeat, debito cum regimine.

Rec. Aqu. apoplect.
hyſter. ana unc. iii.
Spir. meliſſ.
cochlear. ana drachm. ii.
Lumbr. terr. dr. 1.
Ol. menth. ſtill. gut. xxv.

M. adhibeatur externe pro lotura femoris morbidi, fricando illud ante & poſt lotionem cum linteis calefactis.

Interne elix. uitriol. Mynſ. ter in die priori doſi repetebat.

D. 15. *Maii*, priora mala prorſus abeſſe, femorisque immobilitatem &c. ualde minui, e contrario dolores in lumbis & pelui nouiſſimis diebus ſuperueniſſe referebatur. Quum nouilunium modo praeterlapſum eſſet, hos menſtruorum praenuncios dolores habebam; miſiſſem quoque jam ante dies aliquot remedia emmenagoga, niſi nunc demum juſto tardius de morbi ſtatu certior iterum factus fuiſſem.

Rec.

Rec. Eſſ. Pimpin. alb. dr. iii.
Succin. dr. ii.
Croc. dr. 1.

M. d. omni quadrihorio 30. guttae.

Rec. Hb. malu.
meliſſ. ana manip. 1.
millefol. manip.

Inciſ. D. pro pediluuio quinque ueſperarum.

Rec. Rad. rub. tinct. unc. ſem.
helen.
imperat. ana drachm. ii.
hb. origan.
puleg.
menth.
abſinth. ana manip. ſem.
fl. cheir. pug. ii.
ſemin. foenic.
aniſ. ana dr. ii.
inc. gr. m. D. pro infuſo calido theae-formi, bis in die ad aliquot uaſcula bibendo quinque per dies.

Sed nullus hoc nouilunio adparebat fluxus, niſi in tam parua quantitate, quae uix uncias duas aequabat.

Proxumo igitur Junii nouilunio haec dabam, ut ma-

maiori efficacia canales ſanguiferos relaxarem:

Rec. rad. caryophyllat.
urtic. ana unc. ſem.
hb. malu.
petroſel. rec. ana manip. I.
fl. cheir.
calend. ana pugill. ii.
ſem. aniſ.
foenic. ana dr. ii.
Inc. D. priori lege.
Rec. Eſſ. pimp. alb. dr. iii.
croc. dr. ii.
liqu. C. C. ſuccin. dr. I.
M. D. omni trihorio 30. guttae.
Rec. hb. malu.
millef.
Sabin. ana manip. ii.
Inc. groſſo modo, f. lauacrum pedum ſ. proxumis veſperis calide inſtituendum.

Secundo die medicinali profluuium incipiebat, ac ſex dies tanto cum aegrotae emolumento durabat, ut haec plenaria ſanitate iterum donaretur.

Fluunt ex his ſequentia:

I. Muliebri fluore ſanguineo ordinatis temporibus rite procedente, periculoſum eſt, cum e venis, ſiue brachii, ſ. pedis ſit, detrahere cruorem, qui alias uterinis ex uaſis ſponte effluxurus eſſet; auſertur enim uis dirigens.

2. Sup-

2. Suppreſſo menſtruo profluuio; ſanguis ad ſuperiora facillime tendit, praecipue, quando leuis cauſſa externa, v. gr. pedum frigus &c. adcedat. Vnde, ut uariae in aliis haemorrhagiae, e. c. narium, bronchiorum &c. fieri ſueuerunt, in noſtra, breuia uentriculi dicta uaſa, nimio cruore repleta, per os eumdem reddiderunt.

3. Frequens eſt noſtris in terris, ſexum ſequiorem, praeſertim deficientibus menſibus, de inflatione hypochondrii ſiniſtri, ac proin ventriculi, multisque de doloribus abdominalibus ac lumbaribus, conqueri.

4. Quam fortis fuerit ſanguinis determinatio uerſus lienem, & uentriculum, liuido-caerulaſcens, externus, in ſiniſtro hypochondrio, color, & ſingulare prorſus phaenomenon, commonſtrat.

5. A ſola ſanguinis ex inferiori uentre ad ſuperiora directione femoris immobilitatem &c. conflatam eſſe, teſtatur reſtitutus facile motus, reuertente ſcilicet menſtruo fluore, externique liquoris ſpirituoſi ad lumbos neruorumque originem facta adplicatione.

6. Pilulae licet aegrotanti tam debiles exſtiterint, ut nullus hinc ſequeretur alui fluor, ſanguinem tamen illas deorſum direxiſſe conſtat, quum liuido in ſuperficie cutis colore euaneſcente, uomitus cruentus inminueretur.

7. In plerisque menſium ſuppreſſionibus clima noſtrum ſeptemtrionale remedia uult paullo calidiora, & ualidius pellentia, quam in regionibus auſtralibus.

OBSERVATIO III.

RABIES CANINA, INFANTEM QVADRIMVLAM MEDIA HIEME TRVCIDANS.

Rariores ſane obſeruationes ſunt, quae hiemali tempore communicatam, beſtiae morſu rabioſae, caninam communiter adpellatam rabiem, indeque obortam atque conflatam, quodſi conſummata iam exſiſtit, hydrophobiam relatam exhibent. Quamuis enim cuncti fere Medici, ac inter eos concinno ſcribendi nitore illuſtris Boerhaave *aphor.* 1134. regionem, magno aeſtu ſqualentem, & viciſſim ſummo frigore horrentem pari paſſu in rabioſo delirio gignendo ambulare; & recte quidem, ducant: apud omnes tamen conſtat, multo plures aeſtate morſus, aegrotanti praecipue damnum inferentes, ac hieme contingere. Cuius quidem cauſſam phaenomeni nulli ignotam fore arbitror, qui conſiderauerit, quam ſollicita hominum pariter, atque animantium hyberno tempore cura ſit, a minimo, ac notabile aliquando forſan incommodum producturo, frigore ſe defendendi, ut adeo procliuis ad dirum atque funeſtum hocce malum incendendum uia plerumque praecludi ſoleat. Cui tamen complurium ruſticorum, in noſtris aliisque ſimilibus, ubi ſeparatim rure domus exſtructae exſtant, regionibus, neceſſaria quodammodo conſuetudo cognita eſt, praegrandes ſuos canes catenis foras adligandi, ut uigilantes latratu, fures aliosue ignotos noctu homines

mines aduenire, herum commoneant, minime mirabitur, huiuſcemodi moloſſum, poſt aliquod temporis interuallum ad uehementiorem iram, continua adligatione, pronum redditum, iniuriisque aëris frequentius expoſitum, adcedente uentoſa & frigida tempeſtate, maniacum, ſi ita loqui licet, rabidumque euadere, ac disruptis, ſuperante ui morboſa, catenis, in pratis ubique oberrare, atque rabiem ſuam cum quouis primum ſibi obuiam facto, communicare infauſto morſu poſſe. Concludere merito autem licet, uehementer commotos boreales, illisue adfines uentos, noſtris quippe terris maxumum frigus conciliantes, anſam huic morbo potiſſimum praebere debere. Quo magis igitur admiratione dignum eſt, quod, quum integro *Ianuarii menſe A.* 1736. fortes quidem, ſed aequali prorſus directione commoti auſtrales uenti, modico tantum cum frigore, ſed multa nebula loca noſtra perflaſſent, animalia quaedam, ac inter ea bini canes, uacca item profectioris aetatis, tandemque anſer maſculus, rabie furere inceperint. Magna itaque ipſis in hiſce animalibus diſpoſitio ad acutum huncce morbum concipiendum iam ante adeſſe debuiſſe liquet, qua quippe factum eſt, ut a diurna ueſpertinaque nebula, madefacta pelle, ſuperueniente nocturno gelu, emiſſaria cutis arterioſa, perſpirationi promouendae dicata, conſtringerentur, retentisque ſuperfluis partim, partim quoque noxiis ſudoriferis moleculis, maior copia, celerior circuitu, atque particularum ope ſalino-ſulphurearum, acrior impetu in uaſa ſanguis factus inflammationes in minimis arteriolis, praecipue in illis, quae cranii in-

 ter-

ternae tabulae infixae, facilius, deſtitutae uicinorum preſſione muſculorum, obſtrui, cruoremque ſemel ſibi impactum, ob paruum oſſium contiguorum elaterem, indeque producendam inhaerentis propulſionem ſanguinis, difficillime reſoluere, atque ad priorem ſubtilitatis pariter, ac meabilitatis gradum reducere poſſunt, crearentur, mentisque ſequuta abalienatione in rabiem cuncta redigerentur. Breuiori tamen eaque faciliori explanatione in ſequenti caſu rem expedire ualemus, utpote qui exortus eſt, quum rabida uacca, uitam ponens, inſepulta, maxuma ruſtici poſſeſſoris incuria, ſub dio iaceret, canes eandem inmodico adpetitu deuorantes, breuiter rabidi facti fuere, quorum unus triſtis huius tragoediae auctor exſiſtit.

Fuit nempe in pago dynaſtiae noſtrae Nyendano vel Neuendano, ludimagiſtri cuiusdam filiola quintum agens annum, in quam aliis cum puellis in uia ante ianuam domus ſuae ludentem, rabidus ille canis, quasdam praetergreſſus puellas, aliam uero humi proiiciens, illaeſam ceterum relictam, tanto furore impetum fecit, ut integram e labio portionem mordicus auferret. Quo facto, in ore aeque, ac extra illud, tantus cruoris riuulus profluebat, ut ſuper ueſtimenta decurrens, in terram delaberetur. Facta haec ſunt *a. d.* 21. *Ian.* 1736.

Vulnere, ſine ullo tumore medelaue applicata ſanato, quod copioſae ſanguinis effluxioni, qua quippe uenenum, nouiſſime in uulnus delatum, dilutum magnamque partem cito eiectum eſt, tribuendum uidetur, primum rubrae, ac magnae, com-

compluresque & prurientes, maculae in toto corpore enaſcebantur, quas ſponte, poſt ½ horae ſpatium, iterum euaneſcentes, in gena lateris uulnerati feruida & ingens papula, ad mortem usque aperta manens, excipiebat. Neque uero notabile hinc incommodum percipiebat, ſed integris potius nouem νυχθημέροις ſanam, quantum iudicare licebat, uitam ducebat, aluo tantum aliquoties tarda exſiſtente.

D. 30. *Ian.* aegrotare parentibus uidebatur. Duobus νυχθημέροις neque comedebat, neque bibebat, neque aluum deponebat.

D. 1. *uero Febr.* hilari adhuc mente lectum petens, aliquamdiu bene ac placide quidem dormiebat, ſed media ſomni ſub perturbatione, iteratis uicibus ſuſpirare, & queri incipiebat, neque tamen excitata aliquid deſiderabat, vel dolebat.

D. 2. *Febr.* iisdem, ac d. 30. Ian. phaenomenis permanentibus, in lecto commorabatur.

Nocte in ſomno complures pauores contremiſcens experiebatur, blandis autem hortatibus impulſa, quieta cubabat.

Summo mane d. 3. *Febr.*, pauoribus, numero & uehementia, auctis, manus pariter ac pedes huc, illucue protrudebat, ſuauiterque commonita, ſibi a cane, morſum minitante, timorem iniici, reſpondebat. Poſt breue temporis interuallum de aure uulnerati lateris ualde conquerebatur, quam quum parentes intueri, manuue contrectare uellent, omnibus id ipſum renuebat uiribus. Nec ita multo poſt artus inferiores dolore adficiebantur. Praeterea uero, quod memoratu dignum uidetur, manus ſuper faciem, quaquauerſum uaga-

Digitized by Google

batur, & dein fortiſſimo illas ſpiritu adflans, quaſi pilos de manibus difflare adlaboraret, uociferari incipiebat, canem ſe morſurum, adpropinquare. Quibus factis, confeſtim ſummis uiribus cum manibus aeque, ac pedibus trudebat, feriebat, neque niſi blande admonita, atque manibus arcte comprehenſa, paullulum quieſcebat. Vultum, durante hac actione toruum, praecipue quum ingentes conuulſiones adcederent, prae ſe ferebat, quo ipſo etiam tempore ſtertebat, ac difficillimum laborioſumque ſpiritum ducebat. Ceterum, quod omnium primum fere commemorari debuiſſet ſymptoma, toto morbi decurſu, neque alios, ipſosue parentes adſpicere poterat, neque in uicinia uerſari illos patiebatur, candela adcenſa, in aegrotantis uultum lucente, tam fortiter illa conuellebatur, ac ſi minutatim disrumperetur.

Repetitos quoque poſt uomendi conatus, *hora circiter* 3. *pomeridiana*, uehementibus agitata conuulſionibus initio ſpumantem pituitam, ac poſtea atrum cruorem, bullientis inſtar lactis feruidum, fumantem, ac ueſiculoſum euomebat, donec, continuato uomitu, *hora* 4. *pomeridiana*, animam Deo redderet. Quibus adde uocem hujus diei raucam & tremulam ac faciem, altera ante mortem hora modo pallidam, modoque ex liuido nigram euaſiſſe.

Tandem ſcire, lector beneuole, refert, fido me calamo hiſtoriam, prout ab infantis patre relatam accepi, conſignaſſe, nec ulla fuiſſe medicamina in uſum vocata.

O B-

OBSERVATIO IV.

INFLAMMATIO VENTRICVLI ET INTESTINORVM, IN SPHACELVM TERTIO DIE MVTATA.

VIr iuuenis, 20., & quod excurrit, annorum, macilentus, ab incunabulis fere, uariis tumoribus pituitoſis &c. uexatus, *hyeme* 1737. ſerie tumorum glandularum colli adeo corripitur, ut una uix ſanata, altera ad ſuppurationem properaret. Inter haec quoque, menſibus praecipue *Martio* & *Aprili* 1738. caput & artus tumere, & colore non numquam liuido tingi, inſolitumque frigus ſuſtinere incipiunt. Quae tamen omnia noſtrum, ruſticano uitae generi addictum, non impediunt, quo minus per interualla aëri uerno, frigido humidoque ſe exponeret, aut labores ſub dio ſuſciperet, ne dicam de medicaminum prorſus neglectu. Circa *Paſchatos feſtum* febrilis illum inuadit horror, cum ſolito inſequente calore, quae ambo ad aliquot dies ſymptomata lecto noſtrum adfigebant, creſcente nihilominus ſupra dicto partium tumore ac uehementi ſapore ſalino in ore, quem diutius tolerare debuerat. Quibus omnibus potulentorum adſumptorum uomitus, uiridi colore imbutus & tolerabilis alui fluor iungebantur. Sponte tamen phaenomenis hiſce aliquantum inminutis, uale ſtragulo dicebat, unde

 tumor

tumor capitis pariter, ac artuum magis adaugebatur.

Initio Maii uires adeo franguntur, ut conſtanter lectum amplecti deberet.

Dum autem haec aguntur, ac inſolitus ille tumidarum partium frigidus liuor fere nigreſceret, continuante, quem ſuperius enarraui, uomitu bilioſo & deiectionibus aluinis, non numquam ſanguinolentis, *ueſperi d.* 17. *Maii* nouum in noſtrum febrile frigus impetit, quod ſtatim inſignes iique ardentes ructus, ardor praeterea in ſtomacho ac toto inteſtinorum canale miſerrimus excipiunt cum pulſu celeri, magno, aequali, pleno, ac extremorum conſtanti frigore & liuore. Ructibus illis nimium per interualla adauctis, maiorique celeritate uentris itinera percurrentibus, anxie ſpiritum ducere cogebatur.

Peruigilium ad haec, corporisque inuitus in dorſo ſitus, ac inexplebilis ſitis, & ſapor perpetuus amarus ac ſalſus in ore, cum virium magna proſtratione adcedebant. Tantus quoque ſeorſim, abdominis integri dolor ardens erat, ut manum eidem imponere ſine acuto ſenſu ipſe nequiret.

Quae quum, die demum 19. Maii aduocatus, bene animo uoluerem ſymptomata, funeſtum morbi euentum breui adfuturum adſtantibus praedicebam. Nihilo tamen ſecius medicamina cognati a me efflagitabant, ne patiens ſcilicet ἀμεθόδως uitam finiiſſe uideretur. Quae noſtris profecto regionibus conſuetudo ſolemnis eſt, ut aegrotante ultimum uitae halitum ducente, tum denique ad Medicum confugiant, quo deinceps occaſionem habeant, uitae curriculo, e ſuggeſtu publice praelegen-

legendo, inſerendi, remedia quidem, quantum fieri potuerit, adhibita eſſe, ſalutari tamen eadem effectu caruiſſe. Cunctabar itaque, data opera, paulisper, ne inutiliter haeredibus nummos, pro remediis ſoluendos, elicerem. Neque duae praeterierant horae, quum ſphacelo correptus aeger animam efflaret.

Ergo ſcorbutum, altiores figentem radices, inflammationes haſce produxiſſe, conſideranti, quae illuſt. b. BOERHAAVE *aphor.* 1148. *ſeqq.* nitide expoſuit, patebit, & creare illas mortem citisſimam, eodem *auctore aphor.* 960. teſte, noſter ſuo confirmat exemplo. Praeſertim quum ſymptomatice irruerent, fieri aliter non potuit, quin, uiribus pariter, ac humoribus a principe morbo antea iam reſolutis, in gangraenam breui abirent, miſerrime dein lethalem (*a*). Quibus extremorum frigus perpetuum, cum liuore ſeſe adiungens, anſam mihi praebuit, ut idem effarer, quod candidus olim LOMMIVS (*b*). memoriae prodidit: quodſi praeter haec extremae partes membrorum inalgeſcunt, exitium in propinquo eſſe ſignificant.

Atque eo maius quidem periculum heic locorum imminet, quo plures adſunt cauſſae, quae morbi uim citato curſu iugique adaugere ſtimulo ualent, quas inter contentorum in canali alimentoſo uariam acredinem, biliofam, foetidam, ſalſam, putridam; tum flatus ardentes, mire abdomen, variis in inteſtinorum plagis, attollentes, cru-

(*a*) BOERH. *cit. l. aph.* 967.
(*b*) *Obſ. medicinal. p. m.* 131.

cruciantes; maſſae dein ſanguineae, ſcorbuticae indolem, circulationem heic magis moleſtam reddentem; mollitiem adhaec partium adiacentium, quae ſemel receptum in arteriolis ſuis cruorem ulterius ex dictis propellere cauſſis nequeunt; pendentem hinc grauiorem ſanguinis in ſuis ductibus infarctum, praeſertim, quando naturam propaginum uenae portarum etc. in ſecunda hominis ualetudine lento circulo gaudentium, animo agitamus; ac demum pinguedinem in omento ac reliquis uicinis partibus, quae copioſa eſſe ſolet, acriorem, rancidam factam, ſolutam, ardorem iterum multiplicantem; etc. numerare liceat. Ceterum non facile deliria mentisque abalienationes in eiusmodi inflammationibus canalis alimentoſi ſymptomaticis oboriri poſſe, quemadmodum alias plurimi morborum horum obſeruatores teſtati ſunt, ſanguinis lenta uiſcidaque in ſcorbuticis qualitas, neruorum in adfectis membris plexus inuoluens, ac qualicumque eosdem ratione ab acri punctura, principia neruorum in cerebro conſenſui exponente, defendens, comprobat.

OB-

OBSERVATIO V.

INTESTINORVM POST COLICAM BILIOSAM INFLAMMATIO.

MOnendum prius, quam hiſtoriam perſequar, duco, me omnia morbi huius phaenomena, prout temporis ſucceſſu ad me peruenere, deſcripta dare, ne forſan in aliculus primam poſt relationem commiſſi erroris ſuſpicionem incurram, atque ut alios ſimul doceam, quam parum relationibus illis ſcriptis, rure miſſis, fidendum ſaepe ſit, ſi ab ipſius aegrotantis praeſentia excludamur.

A. 1734. *d.* 10. *Decembr.* erat, quum rure degens quidam vir haec de coniugis tenerae, ac ſanguineo-cholericae, 49. annos natae, morbo graui ac inſolito ſibi uiſo, litteris ad me mandaret: Vxor mea *d.* 5. *Dec. mane* ſubito cum uomituritione magnum in abdomine dolorem ſenſit. Hoc uero ipſi admodum familiare eſt morbi genus, quo ſaepius 2. ad 3. dies detinetur, quodque paſſionem hyſtericam credit. Vomitus haut ita multo poſt ceſſauit, dolor autem acerbus in abdomine manet. Aſt locum ille minus ſeruat, atque nunc ſurſum, nunc deorſum, modoque ad ſternum tendit. Sub hoc ipſo momento velut inflatam, extenſo ad ſeptum usque transverſum abdomine, ſe ſentit. Quando inmota in dorſo iacet, dolor remittit, poſt leuiſſimum autem motum iterum exacerbatur. Adpetitus ſtatim ab initio ceſſauit, nihilque iam deglutit, niſi infuſum theae. Sed & aluus occluſa eſt,

eſt, maxume illam infeſtans. Binis quidem vicibus paucisſimas feces magno ſub molimine depoſuit, ſed durisſima haec excrementa erant. Neque dormire potuit, excepta hacce nocte, qua leuem in ſomnum delapſa quidem uiſa eſt, ſub eo autem multum ſudauit, neque refocillatam ſeſe animaduertit. Quoniam igitur praeter conſuetudinem malum hoc diutius perſeuerat, quam ferre illud ea poſſe uidetur, peto abs te medelam huic oppoſitam malo.

Haec circiter ille: quibus adiungere necesſum arbitror, per longum iam tempus uentum, africum dictum, fortiter noſtra in regione ſaeuiisſe, tempeſtatemque nebuloſam, cum frigore ſubitaneo variantem, aërem iuſto denſiorem reddidisſe. Vnde, pleniore notitia, ad tempus, deſtitutus, hariolabar, aegrotam aëris intemperiei, quod ſaepius heic loci euenit, ac ut plurimum ob negotia illarum domeſtica fieri debet, nimis ſe concredidisſe, atque frigefactam fornaci ferreo valde calenti, ceu mos heic valet, corpus admouisſe. Exinde ſcilicet concludebam, denſum aërem, pituita iunctum inteſtinali, in inteſtinis repente rarefactum, eorumdem itinera dolorifice extendisſe, qui ob excrementa retenta ipſe occluſus, ac ſurſum deorſumue egredi neſcius, tantos in iisdem cruciatus excitaverit. Cui haut adaequatae ſane, nec omne punctum adtingenti diuinationi praxin ex parte minus ſuccedentem ſuperſtruebam. Flatibus namque reſoluendis primum, atque qua data porta expellendis, hoc deſtinabam:

Rec.

Rec. Tinct. antimon. acr.
eſſ. pimp. alb. ana dr. ii.
gent. r.
ſpir. ſal. ammon. aniſ. ana dr. ſem.

M. D. ter in die 30. guttae ex vehiculi aquoſi aut gelatinoſi uncia una.

Laxaturus porro aluum, hoc praeſcribebam:

Rec. Eſſ. alex. Stahl. dr. iii.
extr. panch. Croll. ſcrup. I.
reſin. Jalap. gr. iv.
Julep. Violac. q. ſ.

M. ſolut. exactiſſ. D. proxumo mane, conſueto cum regimine.

Hisce tamen adiungebam, maritum debere ad quaedam ipſi propoſita reſponſum dare, ut certus eſſem, an haec continuanda via, aliaue eligenda ſit.

D. 13. *Dec.* utroque deſiderio meo hisce ſat agebat: poſt ſumtum hauſtum laxantem, coniux mea bene purgata eſt, indeque multo ſe leuiorem experta eſt. Exhauſtis vero qualibet uice guttulis, flatuum discuſſioni deſtinatis, adcedente praecipue leuiſſimo abdominis motu, dolores aucti ſunt, poſt ea licet priorem gradum recuperarent. Quare, iusſu Tuo ſuffultus, continuare hanc eſſentiam nolui. Quod ad quaeſita tua adtinet, pulſum illa ſemper naturali velociorem habet, tertia-

que,

que, quotidie poſt meridiem, hora febris exacerbatur. Hora fere 6. ueſpertina febrilis aeſtus maxume uiget; capitis tamen doloribus caret. Ructus ex ventriculo amari complures adſcendunt, atque ori ſapor amaricans ineſt. Cardialgiis minus vexatur, excepto, quando dolores abdominis furſum contendunt. Menſtruorum fluxum aliquot abhinc annis experta amplius non eſt, quoniam quinquageſimum iam annum intravit. Quibus legitime conſideratis, longe me in medendi methodo errasſe, perſpiciebam, morbumque nihil aliud, quam inteſtinorum inflammationem (*a*) eſſe concludebam.

Emolliendo igitur, ac aeſtum temperando procedebam, admiſtis blandis reſoluentibus.

Rec. Rad. ſiſar.
ſcorzoner. ana unc. ii.
hb. lactuc.
portulac. ana manip. i.
Fl. violar.
Nymph. ana pugill. ii.

Comminut. gr. m., decoqu. in ſ. qu. iuſculi gallinacei tenuis, bibat aegra frequenter aliquot pro lubitu uncias.

Rec. Pluuiae unc. iv.
Aqu. fœnic. unc. ii.

Succ.

(*a*) Conf. D. D. Allen *Synopſ. Univerſ. medic. pract. tit. de Colica bilioſa cap. VI. artic.* 51. *ſqq. edit. Londin. de A.* 1719. *in* 8.

Succ. citr. rec. unc. ſem.
Cryſtall. mont. ppt. ſcr. ii.
Nitr. pur. ſcr. 1.
Syr. acetoſ. citrin. unc. 1 ſem. vel q. ſ.
Hauriat cochl. 1. omni hora.

D. 28. *Dec.* has adcipiebam litteras: quum uxor mea praeſcripta nouiſsime a te remedia uſurpaſſet, dolor in tantum cesſauit, ut lectum illa plane deſerere, atque in domo obambulare ualeret. Poſt haec autem, paruus priora loca dolor, cum aluo obſtipata, recuperavit. Quibus, paucis elapſis diebus, tantus eſt ardor coniunctus, ut ſurſum is ipſe, ceu clare percipere poteramus, per os frequenter exhalaret. Coniiciebam igitur, aluum apertam eſſe ſeruandam, atque proinde d. 24. Dec. fol. S. S. S. unc. unam contuſam in ſyrupo ſacchari uulgari nigro ipſi porrigebam. Sed tantum aberat, ut dolores ſedarentur, ut potius augmentum caperent, atque feces ſemel modo ejicerentur. Poſtridie, aluo iterum ab illo tempore pertinaciter occluſa, bonam aloës quantitatem in ſpiritu frumenti iuniperino infundebam, nocte ſuper fornacem, uetulae cuiusdam ſuaſu digerebam, ac ſequenti mane diei 27. Dec. hocce de liquore bene ſaturato duo cochlearia illi propinabam. Vix autem illum ebiberat, quum frigore correpta, lectum petere deberet. Ac tum quidem horrendos ac lancinantes in toto inteſtinorum canale, cum magna debilitate, atque praecordiorum anxietate, dolores ad hoc usque momentum eo gradu perpeſſa eſt, ut ſpe fere omni, ſanam atque

incolumem illam reuidendi, caream. In tali igitur rerum ſtatu ipſe, quodſi ob uiae moleſtiam fieri id poteſt, idoneis medicamentis inſtructus, ad nos adcedas, etiam atque etiam rogo.

Qua perlecta epiſtola haec confici iubebam.

Rec. Rad. ſcorzoner.
Cichor.
Siſar. ana unc. ii.
Hb. acetoſ. rec.
Fl. nymph. ana manip. ii.

Inc. gr. m. D. ad ch. S. ſpecies, cum iure carnium tenui decoquendae.

Rec. Pluuiae unc. iv.
Aqu. fragor. rec. opt. conſeruat. unc. ii.
Nitr. papauerin. (a) dr. ii.
Syr. acetoſ. citr. unc. i.
M. D. omni hora cochl. i. vel unc. ſem.

Qua parata medela, iter ob humidam, fereque profundae argillae cauſa inexhauſtam atque inaceſſibilem uiam, difficillimum abſoluebam.

Adcedens, in aegra haec potiora phaenomena obſeruabam: ſaepius parcum & amarum liquidum euo-

(a) Praefero illam, quam ego *Actor. Nat. Curioſ. Vol. IV. Obſ. XCII. p. m.* 348. dedi ex ſucco florum concinnatam deſcriptionem illi, a *b.* Boerhaav. *Chem. Tom. II. proceſſ.* 132. *n.* 2. *p. m.* 339. ex infuſione florum aquoſa ſubminiſtratam.

euomebat, ſimilesque ructus efflabat; pulſus mollis, undoſus, mediocriter magnus, celer erat; febri continua, quotidiana, remittente, ſitique frequenti uexabatur; in abdomine, ſeorſim tamen ac praeſertim in coli, ſub uentriculo transcurrentis, portione, dolores acutiſſimi, lancinantes, urentes, diſtendentes, pulſantes, inflantes totum inteſtinorum, ac proinde abdominis tractum; in recto ſenſus aliquis tumoris ac inflammationis ab aegrota perceptus; impotentia alui exonerandae; vultus e genarum rubore uiuidus; anxia tamen loquela; uires integrae; ſitus perpetuus in dorſo; impotentia motus leuiſſimi ſuſcipiundi; unde, durante uomitionis conatu, miſere eiulabat. Abdomen faſcia conſtrinxerat, manuque mea faſciae admota, tantum in illo ardorem perſentiſcebam, ut diutius ferre eumdem nequirem. Neque ſuperiore lecti ſtragulo, nimio inde adfecta ardore pariter, ac grauitate, obtegere illud poterat. Venae ſectionem, ut antea, ita & nunc, haemophoba abnuebat cunctis uiribus.

Hora 7. *ueſpertina*, ſumtis ſuperius recenſitis remediis, clysmum ex libr. 1. lactis rec. cum ſacchar. farinac. alb. unc. ii. & ſal. culinar. Luneburg. unc. 1. coctum, injiciendum curabam, qui tamen haerebat.

Hora 11. igitur *nocturna* ſimilem, additis tribus olei oliuarum unciis, domeſticum inmitti iubebam, qui poſt horae ſemiſſem aluum efficaciter ſoluebat. Sed feces prodeuntes nigrae, duriſſimae, ac quaſi aduſtae erant. Poſt haec aliqualem dolorum remiſſionem, potione quoque nouiſſima, quantitate cochlearis, ſingulis horis exhauſta, ſen-

Digitized by Google

tiebat. Ceterum *hac nocte* per interualla dormiſcebat, atque potus inſtar ordinarii limonadam aquoſam, ex taleolis citri rec., addito ad ſaporis gratiam ſaccharo, cum feruida ſuperfuſa pluuiali paratam, bibebat.

D. 29. *Dec.* dolores adhuc in eodem gradu, quo proxuma nocte fuerant, aeſtus tamen febrilis remittebat. Clysmum eumdem, qualis hora 11. nocturna praec. diei fuerat, adplicandum, eumque ter quaterue quotidie repetendum curabam. Variationis guſtusque fallendi gratia ſuadebam, ut modo iuscula carnium tenuia, cum rad. petroſ., celeri, ſiſar., vel ſcorzoner, cocta, modo lac recens ebutyratum nondum acidum, atque nunc theam, nunc limonadam hauriret, eamque in omnibus methodum ſedulo continuaret, donec omne malum perfecte ſublatum fuerit, nec quatuor ad minimum diebus redierit. Inſuper quoque ipſis commendabam, ut frequentem mihi morbi notitiam mitterent, ne grauiora exinde mala, paralyſis, gangraena, abſceſſus, &c. promanarent.

Sed iniuſtus coniugis pudor, quae marito, ſumtuum ratione, parcere uolebat, ipſeque mariti neglectus efficiebant, ut non niſi *a. d.* 13. *Januar.* 1735. relatio morbi transmitteretur, in qua ſcriptum erat, aegrotam lectum quidem deſeruiſſe, ſed aluum, niſi quotidie clysmatibus exagitaretur, tardam permanere; abdominis ardorem egregie inminutum eſſe, attamen certis adhuc temporibus remiſſiori gradu recurrere.

Neque praetermittendum eſt, nuncium adfirmaſſe, aegrotam nil minus, quam iuſcula emollientia praeſcripta in uſum amplius vocare, ſed ordi-

dinariis duris fumatis, ſalitis, flatulentis cibis una cum reliquis ueſci, a ſero lactis dulci, ſubinde hauſto, flatus illam copioſos ſenſiſſe, atque a cereuiſiae, quae heic locorum bene lupulata eſſe ſolet, uſu ardorem abdominis auctum rurſum eſſe, integrumque uentrem, quando in domo obambularet, tam grauem ac ponderoſum reddi, ut gerere illum fere nequiret.

Praeſcribebam itaque haſce denuo ſpecies pro decocto:

Rec. Rad. ſcorzoner.
Siſar.
Cichor. ana unc. ii.
Hb. malu.
Leuiſtic.
Valerian. hort. ana manip. ii.

Inc. gr. m. decoq. ſpecierum manip. 2. in aquae libr. 4., bibat omni hora unc. vi.

Huic remedio ſeueram inſtructionem adiungebam, ut lacte ebutyrato &c. frequenter uteretur, ſerumque lactis dulce, neque minus cereuiſiam ſeponeret, ne ſcirrhus aliaue mala ſequerentur.

D. 4. *Febr.* maritus, uxorem ſuam ab omni tandem ardore liberam eſſe, nilque reſtare, niſi tardam adhuc aluum, referebat. Clysmatum ulteriorem adplicationem, ne ſtimulis hiſce inteſtina nimium adſuefierent, nolebam. Aloëtica porro, aliaue calida purgantia, itemque ſalia, nimia a-

crimonia praedita, ſerio iis diſſuadebam. Haſce autem pilulas, urgente neceſſitate num. 15. deglutiendas, porrigebam:

Rec. Extr. cent. min.
Trifol. fibr. ana ſcr. 1.
Elater. ſcr. ſem.
Gumm. kikekunemalo ſcr. 1.
amine ſcr. ſem.

M. f. l. a. pil. ex ſcr. 1. num. 15. conſp. pulu. lycopod. D.; capiat ueſperi 8., ac ſequenti mane ſingulis trihoriis 4., donec ponat aluum; iuncta per dies aliquot diaeta emolliente pariter, ac lubricante.

Semel tamen iisdem, elapſo integro octiduo, neceſſum habebat, quo facto ſedes aluinae non ſponte tantum ſequebantur, ſed grauitas etiam abdominis &c. penitus euaneſcebat.

SCHOLION.

Breuiſſima quaedam monere adhuc lubet. Ac initio quidem titulo morbi, quem poſui, contentus eſſe lector ueritatis amans poteſt, quodſi conſiderat, me uulgarem morborum horum denominationem retinuiſſe. Proprie tamen uocem utramque abuſiue a practicis adhiberi cenſeo, atque, nullam biliofam, quam adpellare amant, colicam ſine inteſtinorum in-

inflammatione exſiſtere perſuaſus ſum (*a*), niſi id bilioſam uocare malis colicam, quando flatus bilioſi, calidi eo tantum gradu colon extendunt; quo inflammatio nondum adceſſit. Quo tamen loco monſtraſſe ſufficiat, ipſam inflammationem, quodſi dolor extendens, ac undoſus, & oberrans, in acutum atque lancinantem ardentemque uertatur, quod iam initio plerumque fieri ſueuit, certe incipere, praeſertim pulſu naturali celeriore euadente, ac genarum rubore fugitiuo ſuperueniente.

Quod ad primam meam medendi rationem adtinet, de hacce ſatis quidem luculenter ipſa in hiſtoria praeſcriptionum mearum cauſſas commonſtraui *v. d.* 10. *Dec.*

Fieri itaque aliter non poterat, quin inflammatorii dolores adcreſcerent, morbusque in deterius uergeret. Attamen memorare obiter liceat, quam multi infauſti nominis medici in acuto hocce adfectu, ancipiti flatulentae titulo colicae decepti, inconſiderate carminatiua, calida, acria, ſalina, &c. propinent, quum abſceſſus uarii generis, gangraenae, ſphaceli, ac ſcirrhi, quin immo ipſa non numquam pareſis, ſiue paralyſis ex colica dicta, facillime morbum hunc excipiant. Neque adeo ſatis, tot uicibus, ex aegrotae ac mariti incuria, renouatam inflammationem hanc reſolutam iterum eſſe, mirari poſſum.

Omnis autem morbus, qui aliquot abhinc annis in noſtram ſaepius, non numquam ter, quater, aut quinquies in uno menſe, impetum fecerat, exinde ortum ſuum traxiſſe mihi uidetur, quod il-

(*a*) Conſentientes ex compluribus SPIGELIUM ac ill. BOERHAAVE adduco.

la fluxu menſium deſtitui coepit. Memoratu enim dignum eſt, mulierculis noſtris familiare id eſſe, ut quadrageſimo, aut, quod raro fieri ſolet, quinto ſupra quadrageſimum anno, tam neceſſario prouidae dono naturae carere incipiant. Neque aliquid incommodi dehinc uerentur, graviſſimi quamuis menſtruorum plenariam atque praematuram ſuppreſſionem morbi ſequantur. Teſtari noſtra illud poteſt, in cuius inteſtinorum arteriis minimis, ſanguis, ab utero reſultans, obſtructione facta, inflammationem ſatis longam, multisque periodis recurrentem peperit.

Neque ideo ſatis aureum illud ill. *b.* Boerhaave: tamdiu perſiſtendum eſſe in uſu idoneorum remediorum, donec omne malum ſedatum ſit, nec tribus diebus redierit, memoriae inprimi, aegrotisque inculcari poſſe cenſes. Ex huius namque nobilis profecto moniti contemtu, maxumam partem, mali pertinaciam conflatam uidemus.

OB-

OBSERVATIO VI.

VERTIGO SECVNDI (a) ET TERTII GRADVS; TVMOR SVBLINGVALIVM, SVBMAXILLARIVM; CALCVLVS PROPE FRENVLVM LINGVAE, &c.

SAnguineo-cholerica, ſexagenaria circiter, ſpirituoſorum amatrix potulentorum menſ. Nouembr. 1735., quum aër craſſus & aquoſus exſiſteret, uentoque auſtrino agitaretur, iuxta fornacem ſtans, ſubito in terram proſternebatur. Vo-

(a) *Retinui plurimorum ſententiam medicorum, qui* melioris diſtinctionis gratia, uertiginem tribus circumſcriptam gradibus cupiunt. Quos inter b. Perilluſtrem Dom. Jo. GOTHOFR. de BERGER, praeceptorem olim ſuauiſſimum, nominaſſe ſufficiat, qui MSCto eruditisſimo *de morb. capitis, inciſo de vertigine*, haec conſcripta volebat: *Vertigo* eſt fallacia uiſus, qua cui omnia ſecum moueri & circumagi uidentur, oriens ab agitatione inaequali & ſucceſſiua fibrarum, nerui optici, in tunica retina expanſarum, qua aliae, poſt alias, ſubito impulſae, tremiſcunt, & illum deprauatum circumactus ſenſum excitant. Qua praemiſſa definitione, haut ita multo poſt ſubiungebat: *Vertigo ſimplex* dicitur, quae modo deſcripta eſt, ita ut naturalis obiectorum color obſeruetur, neque aliud graue Symptoma concurrat. *Tenebricoſa*, Graecis σκοτωμία dicta, adpellatur, in qua non ſolum omnia circumagi, ſed etiam tenebrae, tractusque ueluti marmorum, & inter haec dis-

Digitized by Google

Vocatus medicus externis primum emplaſtris; purgantibus item ac aliis fortioribus ſudoriferis uertiginem hanc depellere, ſed fruſtra, octiduo ſpatio, ſtudebat.

D. 12. *Nou.* me auxilii gratia aduocabat. In lecto debilis iacens ac ſupina, ſine ſcotomiae & caducae uertiginis metu commouere ſe nequibat. Vulgaribus praeter ea ſymptomatis aurium tinnitus ac murmura, neque minus auditus difficultas acceſſerant.

Rec. aqu. cephal. Car. V.
Fl. lauend. ana unc. 1.
Vit. lil. conuall. unc. ſem.
Spir. ſal. ammon. ana dr. ii.
Syr. rib. q. ſ.

M. D. ſingulis horis cochl. 1.

Sub cuius uſu, iuncto uictu tenui ac emolliente & relaxante, in continuo leni madore cutis conſeruabatur, uires paullulum augebantur, ſitisque imminuebatur. Vrina tenuis, ſedimentum album, leue, erraticum, praeceps dabat.

D. 14. *Nouembr.*, quum aegrotans potionem, nimia dulcedine gaudentem, auerſaretur, hunc liquorem praeſcribebam:

Rec.

currentia corpuſcula ſplendida, Graece *μαρμάρυγαι*, oculis praetendi & offundi uidentur. *Caduca* demum uocatur, in qua malum ſic inualeſcit, ut ita laborans, tamquam mero grauis, titubet ac uacillet, ſibique relictus repente corruat.

Rec. Liqu. diar. Schroed. dr. iii.
C. C. ſuccin. dr. i.
M. D. omni bihorio 50. gutt.

D. 16. *Nou.* e lecto egrediebatur, absque ullo uertiginis ueſtigio. Serio autem ipſi licet iniunxiſſem, ut in hypocauſto permaneret, nihilo tamen ſecius culinam adibat. Quo fiebat, ut ſuppreſſa denuo perſpiratione, lectum ſubito repetere uertiginoſa deberet.

Veſperi deglutiendi aliquam difficultatem ſentiebat.

Nocte prae dolore in collo dormire non poterat.

D. 17. *Nouembr.* magnum tonſillarum ac ſublingualium obſeruare licebat tumorem, qui, *altero die*, adplicata hb. ſicca hyſſop. & ſale toſto, farinaque ſecalina calefactis euaneſcebat. Vſa quoque eſſ. d. 14. Non., uertiginem rurſus in fugam coniiciebat.

Aſt eadem *d.* 18. *Nou.* ueſpera iterum conclaue deſerebat.

Vnde ſequenti *d.* 19 *Nou.* mane priora loca pugni magnitudine tumebant, ac lingua, praecipue ad radicem tantum diſtendebatur, ut omnis fere loquela pariter, ac deglutitio impediretur. Dolores etiam in ſiniſtro radicis linguae latere, & circumquaque punctorios gemebat. Os frequenter hb. hyſſop., quae cum aqua fontana leuiter ebullierat, colluebat, ac ſacculos *d.* 17 *Nou.* rurſus adplicabat.

Nihilo tamen minus *d.* 20. *Nou.* in oris ſiniſtro latere

latere ad linguam tumor antrorſum protendere, ac augeri, & reliqui iidem perſiſtere uidebantur. Priori itaque inferioris palati loco ficus pingues, ſub cineribus aſſi, diſſecti, & calidi imponebantur. Sacculi externe & collutio oris continuabantur. Praeter ea quoque cheirurgus, ut ardorem palatinum leniret, linctum ex mucilagine ſem. pſyll. & cydon. cum pauco croco & Syr. papau. rh. confecerat, quocum aegrotans, penicilli ope, ſaepius os illiniebat.

D. 21. *Nouembr.* nouiſſime deſcriptus locus mollis euadens, in medio paruum acumen lactei coloris oſtendebat, quod leuiſſimo pertuſum negotio aliquantum puris largiebatur. Quoties uero hb. hyſſop. os eluebat, toties copioſum mucum exſpuebat, unde linguae radix paullulum tenuior aeque, ac mobilior reddebatur. In ficuum impoſitione, emolliendi ſcopo, perſeuerabatur.

D. 22. *Nou.* dolores punctorii maiores in loco ſuppurato erant. Viſurus igitur, an forſan uulnusculo, heſterna die inflicto, coaleſcente, nouum interclufum pus exitum quaerat, uix aperturam uulnusculi dilatans, circa linguae frenulum, illiusque latus ſiniſtrum, digito palatum inferius premebam, quum multo cum pure albo corpusculum quoddam proſiliens, aegrotam ab omni prorſus dolore ſtatim liberaret. Sed ualde profecto obſtupeſcebamus, quum hoc, quod ex uulnere duri prodierat, uerum calculum *(a)*, fructus corni

(a) Talem ſub lingua calculum circa exitum ductus ſalivalis Whartoniani exſilientem deſcripſit D. D. Schrey

corni magnitudine, compactum, ac paullulum ſcabrum eſſe uideremus. E quo iam phaenomeno facile deriuandum erat, cur aegrota ſaepius uel ſublingualium, uel ſubmaxillarium, tonſillarumue tumore dolente uexata fuerit, & cur a minimo uento, aut aëris frigidioris adflatu acutas dicto loco punctiones perceperit.

Ceterum paucis uulnusculum diebus coïbat, dum inter ea frequenter os decocto hb. hyſſop. ac fl. malu. roſeae collueretur, dictis quoque mucilaginibus apertura illiniretur. Sacculi ſupra ſcripti ope, tonſillarum tumor reſoluebatur. Interne hoc tonico-neruinum, diaphoreticum ac diureticum coronidis loco dabam:

Rec. liqu. diur. Schroed.
Eſſ. alex. Stahl. ana dr. ii.
M. D. omni bihorio 30. gutt.

Aërem

SCHREY *Act. Nat. Cur. Vol. III. obſ. XC. p. m.* 296. *ſq.*, & poſtmodum uberius *Act. Nat. Cur. Vol. IV. Obſ. XCV. p. m.* 373. *ſq.*, & delineavit *ibidem tab. VI. fig.* 5. *&* 6., adductis loco poſteriori caſibus ſimilibus ex HILDANI *Cent. V. obſ.* 1. & CENTIMANO apud SEVERINUM *P. II. cap.* 131. Quibus alii, prope linguam inuenti, addi poſſunt. calculi a D. D. WEBEL *Comm. litt. Nor.* 1731. *ſpec. X. n.* 2. *p. m.* 74. PLATER. *Obſeruation. L. II. p. m.* 368., item *L. III. p. m.* 841. P. BORELL. *Hiſtor. & Obſeru. Medic. Cent. II. obſ.* 17. *Miſcell. Phyſ. Med. Mathem. Erford. de A.* 1727. *trimeſtr I. p.* 256. TH. BARTHOLIN. *Epiſt. Med. Centur. I. Epiſt. LXII. p. m.* 255. Plurimos alios de calculis, in plerisque corporis humani partibus, ac inter has prope linguam repertis, auctores congeſſit b. Dom GE. ERN. STAHL. diſſ. *de calculorum generatione, ſiue Lithogeneſi*, Halae 1699. uentilata, *pag.* 5. — 10.

Aërem quoque uitaret, ac perſpirationem bene conſeruaret, auctor ipſi eram.

Ergo palam eſt, cohibita, quum aegrotans iuſto citius frigori culinari ſeſe exponeret, perſpiratione SANCTORIANA, hunc ſubmaxillarium, ſublingualium, & tonſillarum duum generum tumorem, pituitoſum nempe ac inflammatorium, conflatum eſſe, cui duplex etiam remediorum genus opponeretur, neceſſum iure ducebam, quo tam pituita uiſcida, circa linguae radicem & in tonſillis collecta, educeretur, reſolueretur, quam facta ſublingualium &c. ſuppuratione, peregrinum, heic locorum haerens corpus protruderetur. Et liquet, quam ſaepe uera malorum origo atque prima nos cauſſa fugiat, quum nemo de calculi ibidem praeſentia cogitaret, ipſeque tam profunde iaceret, ut digito ſtyloue explorari nequiret.

OBSERVATIO VII.

PERITONAEI DOLORES, IN ABSCESSUM SALUTAREM TERMINATI.

VEre olim Latii puri, poſt barbariem apud Medicos reſtituti, princeps, LOMMIUS (a) „ obſeruatum, inquit, a doctis hominibus uideo, „ grauiſſimis etiam doloribus urgeri peritonaeum „ conſueſſe, uel certe has membranas, quae ab- „ do-

(a) *Obſ. Medicinal. p. m.* 149.

„ domini uentriſque partibus obtenduntur......
„ ſunt autem hi, ut grauiſſimi, ſic admodum
„ diuturni, neque ullis remediis, quae coli de-
„ bentur doloribus, miteſcunt, ſiue datum me-
„ dicamentum fuit, ſiue adhibitum fomentum,
„ ſiue ſubtus iniectus clyſter. Fere autem longas
„ febres, & ea genera excipiunt morborum bi-
„ lioſorum, qui non facile ſoluuntur."

Cuiusmodi morborum hiſtoriae quo rarius adnotari a Medicis ſolent, eo lubentius ſequentem ſcriptam relinquere obſeruationem nolui, tum ut morbi infrequentis ſymptomata in memoriam reuocentur, tum quoque inſolitus, isque fortunatus eiusdem exitus laeto calculo notetur.

Adcedebat aegrotae auunculus *d.* 14. *Mart.* 1738. ad me, conſilium contra doloroſam illius aegritudinem petens. Lecto ſcilicet aliquot iam dies adfixa, ſummos abdominis cruciatus gemebat. Erat autem illa 9. annorum puella, macilenta, ſanae antea conſtitutionis, credebatque auunculus, ſi modo aluus, biduo clauſa, ſolueretur, dolores ceſſuros eſſe. Alia plane ſymptomata neſciebat. Quum ego itaque e dictis nil fere aliud concludere poſſem, quam cruditates in primis haerere uiis, expoſita gignentes tormina, eademque forte a uermium morſu augeri, hoc praeſcribebam laxans:

Rec. rhei opt.
Mercur. dulc. ex part. aequal. ppt. ana
ſcr. ſem.
Syr. roſ. ſolut. dr. iii.
M. ſumatur ſq. mane cum regimine.

D. 16.

D. 16. *Mart.* idem reuertebatur, dolores abdominis ab aluo laxa reddita, parum inminutos quidem eſſe, ſed uexare aegrotam adhuc ſitim, lenemque tuſſim, ac febrilis caloris exacerbationes, referens.

Rec. Pluuiae unc. I. ſem.
Tinct. uiolar.
Pap. rh. Mynſ. ana dr. iii.
Sal. tart. dr. ii.
Syr. acetoſ. citr.
ex ſucc. fl. pap. rh. ana dr. ii. uel q. ſ.

M. D. reciproce cum ſequenti alternis horis dimid. cochleare.

Rec. Expr. millep. ſ. Full. unc. I. ſem.
Laud. liqu. ſyd. ſcr. ſem.
Syr. moror.
ribeſ. ana dr. ii. vel q. ſ.

M. D. alternatim cum priori potione ſingulis horis cochl. ſem.

Ac morbum nihil aliud eſſe, quam remittentem, acutam, uagam, a uermibus potiſſimum & primarum cruditatibus uiarum productam, noſtraeque regionis puellis admodum familiarem, arbitrabar. Qua in opinione confirmabar, quum, elapſo biduo, certior fierem, bene aegrotam ſe habere, nec remediis amplius opus eſſe.

Sed

Sed tantum aberat, ut morbi radicem tetigiſſem, ut palliatiue potius, impura atque maca ſeductus auunculi narratione, aeſtum, tuſſimque ac dolores mitigaſſem. *Veſperi* enim *d.* 5. *Apr.* litteras adcipiebam, enixe rogantes, ut altero mane noſtram uiſerem: locus autem, quem incolebat, milliare unum a ciuitate noſtra diſtabat. Praeter ea ut dolores abdominis, uehementer iterum adauctos, ſedarem, contendebatur. Hoc itaque innoxium lubricans, & parum anodynum mittebam, ne ſine omni prorſus medicina noctem futuram tranſigeret.

Rec. ol.amygd. d. r. ſign. unc. ſem.
Sacch. alb. q. ſ.
Maſſ. pil. de cynogl. gr. VI.

M. D.; capiat ſingulis horis de linctu hoc bene agitato 2. cochlearia parua.

Mane, *d.* 6 *April.* adueniens, ante quam conclaue intrabam, horrendos huc usque miſellam ſuſtinuiſſe cruciatus, narrabatur, quibus etiam inuitus auunculus permotus tandem fuerat, ut aduocandum heſterna me luce curaſſet. Sub continuis aegrota uociferationibus, ac intermiſto eiulatu, conclamatam rem eſſe, edixerat, niſi ego inciſionem in abdomen inſtituerem, tantisque roſionibus ac morſibus ſe torqueri clamauerat, ut, metu mortis infracta, cultellum, ſectionis a ſe faciundae gratia, importune efflagitaſſet. En uero nouum id-

que mirifici euentus ſpectaculum! ante paucorum minutorum horae ſpatium fons ſaliens e medio umbilico exitum quaeſiverat, cui rei ut illico occurrerem, me rogabant. Ac hercle! bonis, hoc temporis interuallo, quibus curſum equi adceleraueram: uix enim, aegrotae propinquus factus, uitae reliquiae aliquae percipiebantur. Totus igitur in eo eram, ut exploratis, manuum ope, puris exſilientis ductibus primisque fontibus, quos e ſiniſtris potiſſimum iliis ac dextro hypochondrio, manu fluctuans pus uerſus uulneris os commouens, deriuandos eſſe iudicabam, faſciam longam, ſimplicem, duobus capitibus inſtructam, ac in medio inciſam (*a*), Gallis *bandage à deux chefs* uocatam, pararem. Hiſce occupatus, aegrotam, cui ſumma macie tactae, uix loquela ſuperſtes, extrema uero rigida, ſudoreque frigido algida & liuore tincta, ac ſpiritus breuis, lentus, cum pulſu minimo, inaequali, myuro, celeri erant, ſellae imponi iubebam, ut eo aptius faſciam adplicare poſſem. Quo facto, ſaliens pus altitudinem 1½ pedum rhenanorum, iugi adhuc fluxu, ſeruabat, quum in lecto uix ultra dimidium pedem emanaſſet. Tantam igitur puris fœtidiſſimi, uirideſcentis, ſpiſſi quantitatem, quae uaſis collecta ſedecim ferme libras aequabat, excepta illa puris copia, quae induſio, lectique linteaminibus ac ſtragulo, &c. adhaerebat, ad trium, & quod excurrit, librarum pondus computanda, perſpiciens, omnem lapidem mouebam, ut impoſito umbilici ceti-

(*a*) Heister. *Chirurg. Tab. II. fig. f. edit. Germ. de A.* 1731. 4.

centro, linteo quadruplicato, ſpiritu uini inmerſo, uulnus citiſſime dicta deligans faſcia, paullulumque, quum alia analeptica ad manus non eſſent, aceti ope, naribus, fronti, temporibus, nuchae admoti, miſellam noſtram reficiens, alio in lecto reponendam curarem. Inter haec, miſso ſequentibus cum formulis nuncio, ut citius reverteretur, quam ego redux fierem, quaerebam ex aegrota, numne primum locum indicare mihi poſſet, in quem dolores impetum principio morbi feciſſent: quibus illa, parum ad ſe rediens, leni uoce, dolores primo in dextro plerumque hypochondrio incepiſſe, leuique ibidem adtactu increviſſe, poſt ea uero ſuper totum abdomen ſe explicuiſſe, reſpondebat.

Rec. Vin. rhenan. opt. unc. ii.
Expreſſ. millep. ſ. Full. unc. 1.
Oxym. ſcill. unc. ſem.
Conſ. alk. incompl. dr. ſem.
Syr. ribeſ.
pap. a. ana unc ſem., vel q. ſ.
M. D. ſingulis horis dr. 2. ad 3.

Rec. rad. foenic. unc. 1. ſem.
hb. mercurial.
malu.
cerefol.
meliſſ. ana Manip. 1.
Fl. melil.
arnic. ana manip. ſem.

Inc. gr. m. D. ad ch.; ebulliat dimidia ſpecierum pars aqu. ſimpl. libr. 4. decocto, forti manu expreſſo, intingatur pannus laneus, hirſutus, qui iterum optume ad ſiccitatem fere expreſſus, duplicatus abdomini imponatur, ac quoties friguerit, renouetur; altera ſpecierum pars ſq. die eadem ratione adhibeatur.

Rec. hb. fiſtular. manip. I.
Fl. arnic. manip. ſem.
Rad. filic. unc. ſem.
polypod. dr. VI.
Inc. gr. m. D. pro infuſo aquoſo, ſaepius in die ad duas tresue patellas porcellanas calide ſorbendo.

D. 7. April. cheirurgus, quem pro uulneris apta deligatione adminiſtranda commendaram, litteris mandabat, puellam uiribus parum refectam, ſed ualde debilem adhuc eſſe; pus notabili adhuc quantitate in dextro praecipue hypochondrio ſiniſtrisque iliis fluctuare, locoque manuum ope moueri poſſe, ac remota faſcia ex umbilico effluere; dolores egregie mitigatos esſe; metuere autem ſe, ne alia alterutro in abdominis latere ſuſcipi inciſio debeat; &c. Quibus, priora continuanda esſe remedia, bis terue in die, deducto leniter pure digitorum ope uerſus os uulneris, deligandum uulnus, nouam uero inciſionem in magis oportunum tempus differendam, ut clarius pateat, an eadem indi-

indigeamus, nec ne; referri in poſterum debere reliqua morbi phaenomena, aeſtum internum, ſitim, an aluus aperta ſit, &c. reſpondebam.

D. 10. *April.* has a plurimum reuerendo Dom. paſtore, *Meyer*, loci parocho, amico optumo, adcipiebam litteras: aegrotantis noſtrae uires creſcunt, calor febrilis multum inminutus, ſitis fere nulla, aluus naturalis; de ſudore graui, qualis ſymptomaticus adfuit, nihil amplius percipimus. Quando mane ac ueſperi uulnus deligatur, parum puris tantum egreditur, nouiſſima uice illius quantitas uix ſemunciam aequabat, attamen ſub linteamine quadruplicato, quod umbilico ſemper imponitur, id ipſum leni quidem, aſt iugi propullulat fluxu; colore albo gaudet, omnique iam foetore caret. Quod, nuperrima relatione, in dextro hypochondrio exſiſtens pus indeque oriundus tumor, digiti presſu foueam admittens, commemorabatur, nunc euanuit, neque illius ueſtigium in ulla amplius abdominis regione reperitur, ſi pauciſſima quaedam, aſt parva loca ſtatim ſub umbilico excipias, foueolam à digiti preſſione recipientia, quae puris ibidem adhuc praeſentiam indigitare uidentur. Quamuis igitur perſuaſum habeam, miſellam a periculoſo hocce abſceſſu ſanatum iri, metum tamen grauis, qua adfligi denuo coepit, tuſſis, cui copioſum ſputum iungitur, mihi facit, ne longo morbi decurſu eneruata puella phthiſi tandem ſupremum obitura ſit diem, praeſertim, quum pulſus paruus permaneat.

Deriuabam tuſſim ex admiſſo forſan nouo frigore, quia febris tanto gradu decreſcens, viresque

ſucceſſiue adauctae, nil mali pronunciabant. Quam ob rem potionem analepticam de die 6. April. repetendam, infuſum uulnerarium continuandum, atque hunc demum linctum ſaepius ea, quam unum vel alterum paruum cochleare excipit, quantitate lambendum curabam:

Rec. Syr. de alth.
ex ſucc. fl. pap. rh. ana unc. I.
Oxym. ſcillit. dr. III.
Laud. op. gr. III.
M.

Elapſo circiter octiduo, noſtram integre conualuiſſe audiebam, qua haut interrupta ſanitate adhuc, dum haec ſcribo, gaudet.

Patet itaque ex hiſce, adfuiſſe arteriolarum, exterius peritonaei latus perreptantium, ac forſan musculorum ſimul abdominis inflammationem, quae incongrua, nullave prorſus ab initio tractata medela, in abſcesſum abiit, uigoreque dictorum muſculorum foras per umbilicum propulſa fuit. Manifeſtam uero morbi huius ſingularis cauſſam, multo minus externam, neque aegrota, neque adſtantes dare ualebant. Caueat autem lecturus haec, ne ex dolore primo hypochondrii, ac ibidem poſt ea latente maxuma puris copia inflammationem aliquam iecinoris, quam ἡπατῖτιν graece adpellare conſueuerunt, colligere uelit: dolor enim ſuper integrum abdomen, aequali conamine, expanſus, leui digitorum adtactu incre-

be-

beſcens, pus itidem hinc illincue ſuper muſculos abdominis oberrans, manu commotionem ac directionem uerſus umbilicum admittens, uis maxuma, uaria altitudine, pro diuerſo aegrotantis ſitu, ſalientis ex umbilico puris, celer ac ſpontanea uulneris, totiusque, quod potiſſimum eſt, morbi ſanatio, euincunt, in integumentis abdominalibus latitaſſe morbi fomitem. Qui tamen praecipue peritonaeum inuaſit, uehementiſſimo doloris gradu, qui in membrana adipoſa ſolisue musculis mitior esſe debuisſet, maxumo argumento illud demonſtrante. Neque obſtat, quod tendo, atque frequentiores recti in abdomine musculi aponeuroſes eodem furore dolere potuisſent: hac enim ratione maxuma dolorum ſaeuitia in recta linea progredi debuisſet, qua de circumſtantia aegrotans non conquerebatur; ne quid de conuulſionibus (a), tendinum inflammationi facillime ſuperuenientibus, dicam. Quod autem pus in dextro praecipue hypochondrio ſiniſtrisque iliis latuerit, a ſitu puellae derivandum erit: in ea enim maxume loca irruere debebat, qua uia celluloſam exederat membranam, ibique ſubſiſtens, acrimonia ſua ipſos adroſerat musculos.

Elucent tandem quoque ex hac hiſtoria: 1. ſimplicitas uulnerum tractandorum; 2. inſignis uis herbarum uulnerariarum, in infuſo praeſcriptarum; 3. quanta praecautione opus ſit, ne pus copioſum ſimul & ſemel ex uulnere effluere ſinamus, nec praematuram, uitae ui fracta, mor-

(a) Conf. Bellin. *d. morb. capit. titulo: convulſio p.* 451. *ſqq. edit. Lipſ.* 1731. 4.

tem adcerſamus; 4. quam inſigniter medicus abſens a falſa & mutila relatione imponi queat; 5. nouas inciſiones tentandas non eſſe, niſi ubi pus ab omni alia egreſſione praecluſum eſt; 6. ſuperuenientem tuſſim nullam cum principe morbo connexionem habuiſſe; 7. lenium opiatorum uires in tuſſi etiam humida: modo cum ſufficiente lubricantium aut emollientium &c. quantitate coniungantur, ne intempeſtive ſedata tuſſi, pus pituitaue in uiis ſpiritalibus haereat, morborumque aliorum ſubſecuturorum infelix auctor ſit; 8. Forte inflammationem ac dolorem, principio morbi, per apta interna reſoluentia, aeſtumque mitigantia, & externe per congruos, ſeduloque repetitos fotus &c. debellari potuiſſe, quodſi puellae adgnati confeſtim medicinam quaeſiuiſſent.

OBSERVATIO VIII.

EX HAEMORRHAGIA VTERI ABORTVS, MORS.

TRiginta & aliquot annor. uxor ſpongioſa, pallida, obeſa, ſtaturae mediocris, duorum triumue liberorum mater, *A.* 1739. *d.* 19. *Febr.*, *hora* 5. *pomerid.*, praeuia graui, largaque, triduum durante, haemorrhagia uteri, ſeptimo grauiditatis menſe foetum inmaturum excludebat. Elapſa fere *una a partu hora*, ſubito mentis abalie-

na-

natione, ac animi deliquiis, iugi curſu ſeſe excipientibus, corripi, corpus vehementer agitari, foedoque pallore indui coeperat. Adcedens pauca & confuſe loquentem, nihilque de indole mali exponere ualentem conſpiciebam; pulſus paruus, lentus, inaequalis; corpus frigidum; oculi diſtracti; ſumma praecordiorum anxietas. Dabam haec:

Rec. Spir. anth.
Lavend. ana unc. ſem.
Sal. ammon. ſimpl. dr. i.
Bals. uit. liquid. ſcr. iv.
M., quo utatur externe naribus &c. admouendo.

Rec. aqu. *foenic.*
apoplect. ana unc. i.
Spir. C. C.
Liqu. C. C. ſuccin. ana dr. i.
Laud. liqu. ſyd. ſcr. i.
Syr. cort. aurant.
pap. alb. ana q. ſ.
M. capiat ſingulis horis unc. ſem.

Ante uero quam haec in pharmacopolio pararentur, animam efflabat.

Relinquitur ergo dubitationi, annon coniux haec morti eripi potuiſſet, quodſi ante abortum, incipiente ſcilicet haemorrhagia uteri, conuenientia remedia propinata fuiſſent. Quum

enim ex ira clandeſtina, dictum ſanguinis profluuium, ceu ſuſpicari certis ex circumſtantiis licebat, conflatum eſſet, ac maritus medelam ipſi aut denegasſet, aut profecto neglexiſſet, neceſſum erat, detracta ſufficienti ad fœtum ſeptimeſtrem nutriendum fouendumque deſtinata ſanguinis copia, ut corrugato ſenſim utero, fœtus propelleretur, convulſiones partim enarratam ob inanitionem, partim ob puerperii labores, iunctis ſummis animi deliquiis, exorirentur, atque ad inferos mitteretur miſera eaque praematura puerpera.

OBSERVATIO IX.

CASVS, PVERPERAE QVINTO MORBI DIE FVNESTVS.

SUperiore dixi obſeruatione repentinam ex aſphyxia mortem, puerperae euenientem: ueniam nunc ad aliam, ex ardenti febre ad ſuperos migrantem.

A. 1738. *nocte inter* 25. & 26. *Febr.*, uxor quaedam, optume ualens, trium liberorum mater, 30. circiter annorum, cholerico-melancholica, quartum, ſummis cum ὠδῖνοις, duo νυχθήμερα fere durantibus, infantem magnum ac robuſtum enitebatur.

Hinc magna ſequebatur debilitas, ac grauis, ob firmiter adcretas ſecundinas, lochiorum fluxus. Cui

Cui uehemens ira, ab adſtante quadam muliere, ſub partus actu, maleuole ipſi excitata, adcedebat, qua quippe adeo commota fuerat, ut oculi ultra ſemihorae ſpatium rigidi ſtetiſſent.

Sequentibus diebus, 26. & 27. *Febr.* in magnam febrem continuam, continuo creſcentem, re uerſa, uires aegrotantis magis adhuc frangebantur.

Nocte 27. *Febr.* quater aluum fluidam experiebatur. Inexplebilis quoque ſitis, & magnis collectus guttis, isque copioſus ſudor, ac frequens urinae dimiſſio adcedebant.

Quo adflictam ſtatu, mane die 28. Februar. ego in auxilium uocatus, noſtram inueniebam. Aderat autem praeter ea tum temporis magnus aeſtus; internae horripilationes; loquendi quaedam difficultas, quaſi lingua deprimeretur; in ore tamen nil, niſi albicans cruſta, quae fauces pariter, ac linguam, & dentium interſtitia occupauerat; ſapor porro ingratus, amaricans; mentis per intervalla abalienatio; pulſus celerrimus, aequalis, duriuſculus; lochiorum fluxus mediocris, loturae carnis colore.

Rec. aqu. pluuial. unc. ii.
naph. unc. i.
Succ. citr. unc. ſem.
Conf. alk. incompl. dr. ſem.
Syr. ribeſ.
pap. a. ana dr. iii. vel q. ſ.
M. D. ſingulis dimidiis vel integris horis cochleare unum, prout ſitis & aeſtus id requiſiverit.

Veſperi

Veſperi omnia paullo mitiora; nec pulſus adeo uelox; deliria aberant; diarrhoea mitigata; in abdomine moleſta murmura, & dolores quaſi in gyrum agitati. Repetebatur potio, quoniam nil, niſi mera humida, deglutire poterat, & pulueres, pilulas, &c. faſtidiebat, omiſſa tamen conf. alkerm.

Nocte nullus ſomnus; magna inquietudo; deliria continua de rebus domeſticis, iisque, quae ad iram primo puerperii die occaſionem dederant.

D. 1. *Mart.*, *puerperii* 4to, maior uacillatio & grauitas loquelae; deliria; bis aluum fluidam experta erat, unde lotium ad examen ſeponi non potuerat; reciprocus cum fugaci ſudore aeſtus ſiccus; oculi timidi, uagi; non numquam facies & loquela inuerecundae; pulſus celerrimus, aequalis, durus; lochiorum fluxus inminutus; quae autem ueſpera heſterna noctuque effluxerant, ex uiridi & atro uerſicolora, nullo tamen foetore inquinata, deprehendebantur; debilitas & ſitis maior; continuus & anxius uomendi conatus, parcam ſubinde pituitam aquoſam elargiens, poſt quemcumque uel parciſſimum ſermonem repetitus. E brachio., ob immobilitatem aegrotantis ſanguinem ad uncias decem mitti iubebam, qui ſpiſſus, quaſi aduſtus, e coccineo nigricans, ſine ſero. Quoniam potionem euomuerat, hoc primum Riuerianum compoſitum, ad uomendi in acutis conatus compeſcendos expertiſſimum, praeſcribebam:

Rec. ſucc. citr. unc. i.
Sal. abſinth. ſcrup. i.

Per-

Peracta efferueſcentia, add.
Syr. acetoſ. citr. dr. ii.
M. Capiat ſingulis ſemihoriis dimidium cochleare.

Sedata nauſea, hoc uteretur, ſuadebam:

Rec. aqu. pluvial. unc. ii.
naph. unc. i.
Succ. citr. unc. ſem.
Liqu. diur. Schroed. dr. iii.
Conf. alk. dr. ſem.
Syr. ribeſ.
papau. a. ana unc. ſem. vel q. ſ.
MD. ſingulis horis cochl. i.

Ad lochiorum fluxum in ordinem redigendum:

Rec. rad. uincetox.
aſparag. ana unc. i.
hb. mercurial.
malu. ana manip. i.
fl. melil.
chamaem. uulg. ana man. ſem.
Inc. coqu. l. a. c. libr. 4. vel q. ſ. aquae ſimpl., colaturae feruidae intingatur pannus laneus, qui fortiter expreſſus regioni hypogaſtricae, pubi ac perinaeo adplicetur, repetito, quoties frigeſcere incipit, opere.

Ad deterſionem muci in faucibus, lingua, &c.

Rec.

Rec. ſyr. moror.
myrtill. ana unc. i. ſem.
terr. catech. ſcr. i.
M., quo partes oris, penicilli ope, ſaepius detergendae, factaque deterſione, ſequenti liquore colluendae.

Rec. ſal. prunell. dr. i. ſem.
Solu. in aqu. feruid. unc. i. ſem.
Frigefact. add'.
Eſſ. pimp. a. dr. i.
Syr. ribeſ.
myrtill. dr. ii. uel q. ſ.
M.

Veſperi omnia ſymptomata, praecipue autem delirium, creſcebant; floccos de ſtragulo lecti adſidue digitis colligebat; pauca, quae balbutiente & fere paralytica lingua loquebatur, ridicula erant, atque cum riſu proferebantur; lochia non niſi ex pauca aqua, loturae carnis inſtar, conſtabant; cruſta illa alba in ore, non obſtante frequenti deterſione ac collutionibus, craſſior euadebat.

Nocte delirium iocoſum in furorem declinare incipiebat; peruigilium; reliqua eadem; copioſiſſimum tamen ſudorem effundebat.

D. 2. *Mart.*, *morbi ac puerperii quinto*, omnia in peius ruebant ſymptomata, nec delirium ullatenus remittebat; extracto, inuita aegrota, e lecto pedi uulnus infligebatur, ex quo cruorem, librae unius pondere ciuilis eductum, atro-lividum, cum in-

innatante ſero bilioſo, ac cuticula tranſparente tenuiſſima, iridis colores prae ſe ferente, conſpiciebamus. Tantum autem aberat, ut puerpera in facie palleſceret, aliterue, durante ſanguinis miſſione, mutaretur, aut in animi deliquium incurreret, deliriaue remitterent, ut ſingula potius eodem prorſus tenore continuarent. Pulſus tamen adhuc aequalis; licet celerrimus, & duriusculus, magisque paruus, duabus horis ante, redditus eſſet. Aluo octodecim fere horis clauſa, nec lotio intra illud temporis interuallum dimiſſo, clysmum emollientem cum fol. ſenn. & ſale Gemm. inmittendum curabam, qui feces quidem aeque, ac urinam eliciebat, nullum uero alium morbo adminiculum praeſtabat.

Quum igitur diligenti mecum animo reputarem, omnia diluentia, refrigerantia, reſoluentia, temperantia, ſingulis ſemihoriis in uſum uocata, incaſſum adhibita eſſe, nouiſſimae potioni ſpirit. C. C. ſesquidrachmas addebam, ne quid intentatum relinquerem in caſu, breui in exitum terminaturo.

Hora 2. *pomerid.* actiones delirantes ceſſabant, perpetuo tamen floccos de ſtragulo carpebat, aut linteamina conuoluebat; actione quoque linguae penitus abolita, capitis quidem nutu, ſe prolata intelligere uerba, commonſtrabat, nihilo tamen minus

Hora 3. ſtertebat, apoplexia finem ſaevo huic morbo tragicum faciente, qui *hora quinta* paucis cum brachii ſiniſtri motibus conuulſiuis contingebat.

En irae trucem effectum! qui in muliere pia & integerrima, durante ſummo partus dolore, in ipſo moe-

moeroris atque anguſtiarum actu excitata, furorem peperit, lochia perturbauit, praematuram introduxit mortem. Caueant ſibi mulierculae, ne garrulae nugisque plenae linguae liberiorem curſum permittant: namque, canente poëta,

...... uerbis ex turpibus exit
Rixa: ex hac oritur uulnus: de uulnere lethum.

Et alio loco:

Nec parcit cuiquam ueſtrae petulantia linguae.
Quid mirum, ſi uos eadem quoque fulmina tangunt?

Simul uero comprobantur hae Coi, aliorumque prognoſes: 1. a dolore uentris laborioſo febris ardens, lethale. 2. Hic morbus fit a bile, quum mota intra corpus firmata fuerit, & iudicatur breviſſimus. 3. Plerumque in primis diebus uomitur, aut in quatuor, aut quinque. 4. Quicumque ex febre ardente moriuntur, omnes prae ſiccitate moriuntur. Et reſiccantur quidem extremae ipſorum partes manus ac pedes: dein partes ſicciores. Vbi autem humiditas ex corpore penitus fuerit exuſta & reſiccata, ſanguis quidem congelatur penitus, ac perfrigeratur. Reliquum vero corpus ex-

1. Bellinus *ex* Hippocr.
2. Hipp. *L. de adfectionib. p. m.* 243.
3. *Idem* L. *de morb. p.* 189.
4. *Loc. & pag. cit.*

exſiccatur, & ſic homo moritur. 5. Si ſanguis paucior fuerit, & per breuius tempus, uidetur morbus lethalis eſſe, & paucae ex ipſo effugiunt. 6. Senibus plerumque mors, ſicut iis, qui cauſo corripiuntur, in aëre, temperamento, anni tempore, & ceteris frigidis. 7. Ad iram diarrhoea ſuperuenit; & ſi haec non ſuperueniet; febris ſuperueniet, dummodo ingens fuerit ira. 8. Deglutitio laeſa mala; facies rubra & ſudans, mala; cum tremore abit in delirium, inde in mortem. 9. Conf. *aegrotam X. & XI. apud* HIPPOCRAT. *L. III. de morb. popularibus.*

5. Id. L. II. de morb. muliebrib. p. m. 348.
6. BELLIN *de Febrib. p. m.* 217.
7. BAGLIVUS *Prax. Med. L. I. p. m.* 150.
8. BOERHAAVE *aphor.* §. 741.

OBSERVATIO X.

CAVSVS PERIODICVS CVM PERIPNEVMONIA.

ALtercatum cum famulo ſuo, atque hinc in praecipitem grauemque delapſum iram, fabrum ferrarium, macilentae, ſubtenuis & cacochemicae conſtitutionis, triginta & aliquot annos natum, moderata corporis altitudine gaudentem, *die* 29. *Decembr.* 1738. ſummo mane ingens horror neruorumque tenſiones inuadebant. Quae mox phaenomena grauis & exurens aeſtus febrilis, tum alui tormina, & biliofae, ſubcruentae atque permultae, ſurſum ac deorſum cotinuatae deiectiones, & dolor pectoris, praecipue uerſus dextrum latus, opprimens, ponderoſus, ſubobtuſus, & tuſſicula, & lenis mador, & ſpiritus anhelans, creber, anxieque ductus, & genarum cum pallore reciproco rubedo, & inſatiabilis ſitis, & nares obſtructi, & oculi lacrumantes, & uirium ſubitaneus lapſus excipiebant.

Ad miſerum hunc altera *diei*, ſcilicet 30. *Decembr.*, *morbi ſecundi ueſpera* vocabar, cui a crebris praecipue uomitibus infirmo, eodem gradu adhuc adaucta ſymptomata erant; pulſus celer, fere inaequalis, duriusculus, mollis, undoſus.

Rec. Emulſ. amygd. dulc. excortic.
cucum. ana unc. i.
papau. alb. unc. ſem.

Fa-

Factarum cum aq. roſ. q. ſ. Colat. add.
nitr. pur. ſcr. ii.
ſyr. acetoſ. citr. unc. i. vel. q. ſ.
M. capiat reciproce cum ſequenti tinctura alternis horis cochleare unum.

Rec. tinct. fl. bellid. unc. i.
ſpir. ſulph. p. c. gt. xv.
ſyrup. papau. alb. dr. ii.
M. doſis alternis cum priori emulſione horis 80. guttae ex aqua pura.

Rec. Empl. de galb. crocat.
cumin.
diaphor. Mynſ. ana dr. ii.
Mal. extend. ſuper alutam congruae magnitudinis, adplicetur calide pectori dolenti, ac ſingulis mane ac veſperi renouetur.

Nocte nullus ſomnus; inquietudo magna; exſpuerat binis uicibus ſaliuam cruentam.

D. 31. *Decembris morbi tertio, mane*, ſingula parum mitigata; aluus naturalis; uomitus ceſſauerant; aderant per interualla ructus, ualido conatu prorumpentes; ſitis magna. E brachio detrahebatur cruor pondere octo circiter unciarum, qui inflammatorius, pleuriticus, cum ſero bilioſo ſupernatante. Vrina rubra, craſſa, turbida, ſedimentum leue dabat.

Perſiſtebat in uſu tincturae d. d. 30. Decembr.; cui hunc linctum iungebam.

E 2 Rec.

Rec. Syrup. de alth.
ex ſucc. papau. Rh. ana unc. i.
Oxym. ſcillit. dr. III.
M. deglutiat lente ac ſaepe duo cochlearia parua.

Veſperi eadem fere; urina mane miſſa tota iam lactea euaſerat; nouus horror; magnus illum ſequens aeſtus; remedia eadem.

Nocte nullus ſomnus; uires ad animi deliquium usque fractae; uomitiones repetitae, biliofae; aluus, bis exonerata, glutinoſa, bilioſa; tuſſis grauior.

D. I. *Januar.* 1739. *morbi quarto*, *mane*, phaenomena eadem, quae modo expoſui. Sputum pituitoſum, intermiſta dimidia fere puris, ex albido flaueſcentis, ſpiſſi parte; Vrina, ueſpere heſterno miſſa, iam rubra, ſubturbida, cum ſedimento primae ſimili; pulſus celerior, mollior, aequalis; leuis ac uix percipiendus mador. Vrgebant uomitiones & tormina canalis alimentoſi.

Rec. ſucc. citr. unc. I.
ſal. abſynth. ſcr. II.
Facta efferueſcentia, add.
Syrup. acetoſ. citr. unc. ſem.
M. d. ſingulis horis hacce de miſtura Riueriana ea, quam cochlear capit, quantitas, donec uomitus ſedatus fuerit.

Rec. expr. millep. ſimpl. Full. unc. I. ſem.
aqu. Cinam. ſimpl. dr. VI.

Oxym.

Oxym. ſcillit. unc. ſem.
tinct. roſ. unc. I.
Laud. liqu. Syd. ſcr. II.
Syrup. de alth. dr. VI. vel q. ſ.
M. capiat, ſedato uomitu, ſingulis horis cochleare unum.

Linctum quoque datum d. 30. Decembr. continuabat.

Hora I. *pomeridiana* uomitus remiſerant; ructus aderant creberrimi; aegri faſtidium inſuperabile uerſus omnia potulenta & miſturam Riuerianam, excepta ſola tepida aqua.

Hora 7. *ueſpertina* ructus imminuti; hac die bini ſeceſſus aluini; leuis ad ſomnum inclinatio; lotium lacteum, cum pauco eiusdem coloris ſedimento. Bibebat aquam, reliqua euomebat. Vires parum refectae uidebantur; cetera, aeſtus, ſitis, pulſus, tuſſis, excretio puris &c. eadem; dolor tamen pectoris, & exſpuitio, & ſpiritus, leniores paullo exſiſtebant.

Nocte parum dormituriebat; incipiente ſomno, leue delirium; aluus ſemel reſpondebat.

Mane, *d.* 2. *Ianuar.*, morbi quinto, eadem omnia, ut heſterna ueſpera; ſed oculi ſubobſcuri, & pulſus celerior, aequalis, paruus. Ne laudan. Sydenhamianum nimis longe continuaretur, heſternam potionem ſeponendam curabam, illiusque in locum hanc tincturam praeſcribebam:

Rec. Tinct. fl. bellid.
pap. rh. Mynſ. ana unc. I.

Spir.

Spir. ſulph. p. c. gt. xv.
Syr. ex ſucc. fl. pap. rh. dr. II.
M. capiat omni bihorio cochleare ſem. ex hauſtu frigidae.

Expectoratione bene & poſt leuem tuſſiculam procedente linctum, parſimoniae cauſſa, omittebat.

Veſperi pulſus eadem, qua mane, celeritate & mollitie, ſed plenus, robuſtus; urina, meridie miſſa ſublactea, copioſum, lacteum nubis inſtar ſedimentum praeceps dederat. Nullus uomitus; rari ructus; ſitim ne ſola aqua depelleret, ſuadebam hauſtulum uini boni rhenani, uel frigidae ſufficienti quantitate diluti, & folium ſemperuiui maioris, cuticulis detractis, linguae imponendum; aluus hac die clauſa; magna adhuc debilitas; dolores pectoris denuo obmurmurantes, praecipue in pulmone dextro. Quibus ut mature occurreret, impoſitionem ſacculi ſicci, feruidi, in quo hb. menthae criſpae interpaſſata lateret, ſuper emplaſtrum, quod ſingulis adhuc diebus renouatum fuerat, commendabam. Sputo, paullo grauiori, quam antea, tuſſi reiecto, in quo triplum pituitae lentae uni puris parti reſpondebat, ſerio monebam, ut abnegata auaritia, maiorem corporis ſui curam haberet, ac illico linctum repeteret, cui etiam dicto morem gerebat. Ceterum calor ſiccus; leuis in ore lentor pituitoſus; linguae tamen color naturalis; minor quoque corporis iactatio; potus nunc aqua tepida, nunc decoctum tenue raſur. C. C. cum fruſto autopyri toſti.

Nocte nullus fere ſomnus, collapſis uero oculis, deli-

deliria; e difficili ſputi reiectione magna anxietas, aluus aperta.

D. 3. *Januar*, *morbi ſexto*, *mane*, expectoratione difficulter adhuc procedente, infuſum ex hb. ſcabioſ. pugill. 2. & flor. bellid. pug. 1., calide inſtar theae ſucceſſiue bibendum commendabam. Pulſus paruus, celerrimus, mollis, aequalis, fere ut heſterno mane; oculi non adeo turbidi, ac heri; Vrina ſublactea, ſedimento ut antea; parum uegetior, quam heſterna luce, noſter adparebat, morbus licet uehemens adhuc eſſet, & ſputum, pauco pure permiſtum, poſt laborioſam demum tuſſim redderetur; dolor in pectore non tantus, qualis fuerat; iam quoque in latus morboſum decumbere poterat, cum heri ſupinus iaceret.

Remedia tinctura data d. 2. Jan., linct. d. d. 31. Decembr. & potius nouiſſime deſcriptus.

Veſperi plane & diei praecedentis veſpera, ſed pulſus non adeo plenus. Maxumam moleſtiam difficillima creabat tuſſis, quae ad ſemihoram usque nonnumquam extremo robore continuata, tenaciſſimam pituitam, pauco pure & a tuſſiendi violentia punctulis interdum ſanguineis permiſtam reddebat. Ceterum aluus aperta; vrina, meridie miſſa, ſublactea, turbida, ſine ullo fere ſedimento.

Nocte peruigilium; inquietudo.

Mane, *d.* 4. *Jan.*, *morbi ſeptimo*, omnia, ut matutinis horis heſternis; urgebat maxume pituitae exſpuendae moleſtia, & cum ea coniuncta tuſſis, profunda, laborioſiſſima, remedia: tinctura hactenus uſitata, infuſum d. d. 3. Jan. & hinc linctus, tuſſim egregie leniens, & acrimoniam pituitae, in bronchiis haerentis, obtundens.

Rec. ol. amygd. dulc. unc. ii.
ſacch. farinac. alb. unc. i.
M. lambat ſaepius drachmas duas, uel tres agitatione linctus prius facta.

Veſperi, ut ueſpera proxima. Faſtidiebat oleum amygdalorum dulcium, nec ulla perſuaſione commoueri poterat, ut linctum hunc repeteret, paullo facilius quamuis exſpueret. Quare alium, illo d. d. 31. Decembr. aliquanto fortiorem, & pituitam magis incidentem confici iubebam:

Rec. Syrup. de alth.
hyſſop.
ex ſucc. fl. papau. rh. ana unc. i.
Oxym. ſcillit. dr. v.
M. doſis ut antea.

Vrina meridie miſſa, iterum craſſa, turbida, ſublactea, in fundo ſedimentum nubeculoſum fouens. Ad ſomnum ſpontanea inclinatio; circa pulſum arteriae lenis mador, poſt longam demum pulſus explorationem digito percipiendus.

Nocte frequenter dormituriebat, intermiſtis phantaſiis. *Hora* 1. *noct.* moleſtiſſimam tuſſim, horae fere ſpatio, ſuſtinuerat.

Die 5. *Januar.*, *morbi* 8*uo mane*, cuncta parum mitiora; e leuiſſimo illo ſomno uires parum refectae; adpetitus ad panatellam, cum uitello oui coctam, poſt cuius uſum feruidum multa exſcreatio

tio tenaciſſimae pituitae, pauco pure albido permiſtae; urina ut ueſpere die 3. Jan. Remedia tinctura acidula d. d. 2. Jan., infuſum d. d. 3. Jan. & linctus d. d. 4. Jan. ueſpera.

Pomeridianis horis parum dormiebat, & egregie ſudare incipiebat.

Veſperi pulſus modice celer, plenus, aequalis; tuſſis adhuc moleſta, gradu tamen mitigato; copioſum ſputum; urina, ut ueſpere d. 4. Jan; reliqua ſymptomata tolerabilia.

Nocte aliqualis ſomnus cum phantaſiis; auroram uerſus ſudor.

Mane, *d. 6. Januar.*, *morbi nono*, leuis mador, difficulter ſentiendus; tuſſis moleſta; bona expectoratio; pulſus moderate celer, aequalis, paruus; dolorem pungentem in dextro humero & ſcapula gemebat, quem ab admiſſo inter ſudandum frigore nocturno oriundum ducebam; urina ueſpere heſterno miſſa, plane ut antea; cuius tamen ſedimentum paullo copioſius, lacteum; urina, ante ſemihorium miſſa, ſubrubicunda, adhuc pellucida; adpetitus iterum ad panatellam, priori ratione paratam, quam etiam bene digerebat.

Cognita itaque prognoſi ſalutis ſubſequuturae, quaedam tantum remedia ad tuſſim leniendam & pituitam magis adtenuandam *d. 7. Januar.* praeſcribebam:

Rec. tartar. uitriolat.
nitr. papauerin. ana dr. i. ſem.
Solu. in aqu. feruid. unc. iv.
add. elix. pector. Wedel. unc. ſem.

 Syr.

Syr. pap. alb. unc. ii.
M. capiat ſingulis horis coch. i.

Rec. ſyr. d. hyſſop. unc. ii.
alth.
ex ſucc. fl. pap. rh. ana unc. ſem.
Oxym. ſcillit. dr. v.
M. lambat conſueta lege.

Quibus quidem fiebat, ut conſeruato corporis madore, ſequenti *die* 8. *Januar.*, *morbi undecimo*, urina citrina, pellucida, ſedimentum copioſum, albidum deponeret, ac febris & reliqua ex ea oriunda morbi ſymptomata continuatis modo adductis remediis una cum tuſſi ſenſim uerſus 14. *morbi diem* penitus euaneſcerent, aegrotantem culinae relinquentes.

Patent ergo haec adſerta medica: 1. morbus hic ira potiſſimum conflatus eſt, adiuuante aëre nubilo, frigido, uentisque N. & NW. agitato. 2. Emulſiones ex ſeminibus emollientibus pariter, ac refrigerantibus paratae, uomitiones in acutis ad tempus ſedant, quid? quod ſaepe penitus ſoluunt; ſi uero maior uis nauſeae, ac uomituum, quam ut his domari queat, miſtura Riveriana ſacra merito anchora dici poteſt. 3. In enumerandis exacerbationibus febrilibus initium capiatur ab ea diei hora, qua primus inſultus febrilis coepit; in hoc aegroto ueſpertinus pulſus plenus, & matutinus paruus declarabat, remiſſionem fuiſſe ueſperi, & adceſſiones mane incepiſſe.

4.

4. Horror, d. 31. Dec. veſpertinis horis adcedens, irregularis erat, & a nova iracundia, quae eodem die ipſi contigerat, deriuandus. 5. Difficillimae tuſſis ſeries, partim a ſero tenuiſſimo, per ſudorem auolante, adeoque ſuperſtitem cruorem inſpiſſante, partim a dicta aëris conſtitutione, cui initio Januarii, permulta nix, aër craſſiſſimus, ac grauis, & procellae haut mediocres iungebantur, atque hinc per attractionem noui ſemper aëris nociui in pulmones nouum ſemper damnum inferente, oboriebatur. 6. Frequentes ructus indicium praebent acrimoniae bilioſae, flatus fervidos creantis in uentriculo, &c., qui optume per tincturas acidulas temperantur, & discutiuntur. 7. Criſi die ſeptimo imperfecta contingente, ac nihilo ſecius tamen maxumo morbi furore profligato, reliquiae morbi diem alias indicatorium, undecimum in criticum conuertebant, lotio pellucido purum ſedimentum deponente. 8. In tuſſi ferina, a pituita acri uitrea originem ducente, ſales medii, aqua feruida ſoluti, optume ſe gerunt.

OB-

OBSERVATIO XI.

CAVSVS PERIODICVS, CVM ANIMI DELIQVIIS, DIARRHOEA &c. IN PVERPERA.

PRimipara quaedam, macilenta, cholerico-ſanguinea, 30. circiter annorum, grauiditatis tempore multas paſſa iniurias, atque hinc ardentem nunc in iram, nunc profundiſſimos in animi moerores delapſa, laborioſum partum ſuſtinens, mox febri ardente snbilioſa tangebatur, quae, ſuperueniente tertio puerperii die febri lactea, adeo exaſperabatur, ut ego *ueſperi d.* 8. *Sept.* 1736. in auxilium adcerſerer.

Pulſum deprehendebam ualde celerem, plenum, aequalem; leuia deliria; aeſtum magnum, ſiccum; ſitim inexſtinguibilem; uires fractas; adſumtorum quorumuis inmutatorum euomitionem; diarrhoeam frequentem aquoſo-bilioſam; capitis inſuperabiles dolores &c.; lochia notabili copia effluentia; ardentes in omni corporis parte punctiones, &c.

Rec. Miſtur. Riuer. antemet. unc. i. ſem.
D. quauis hora cochl. i., donec potulenta alia retinere poſſit.

Rec. Conch. citr.
nitr. pur. ana gr. xv.

camph.

camph. pur. gr. IV.
M. D. in quadruplo, S. omni bihorio, uomitu ſedato, unum.

Rec. Pan. ſiligin. toſt.
ſal. culin. toſt. ana unc. II. ſem.
fl. ſambuc.
chamaem. uulg. ana pug. II.
Inc. & trit. D. in duplo, interpaſſ. adplicentur ſacculi ſicciſſimi, ſaepius calefacti, utrique mammae, ad cohibendum lac, ac reſolvendam earumdem tumiditatem.

D. 9. *Septembr.* uomitiones quidem ceſſauerant, ſed diarrhoea adeo grauis, ut intra horae ſpatium bis uel ter aluum deponeret, quibus, adcedente largiſſimo ſudore, magnis guttis collecto, adeo debilitabatur, ut leuia animi deliquia bis terue in die experiretur. Cogitabam igitur debili de opiato, ut diarrhoeam leniter tantum mitigarem, paucasque macilentae huius femellae uires aliquantisper conſeruarem:

Rec. aqu. pluuial. unc. II.
cinam. cydon. unc. I.
conf. alk. incompl. dr. ſem.
laud. liqu. Syd. ſcr. ſem.
ſyr. acetoſ. citr.
moror. ana q. ſ.
M. D. omni hora, quoad diarrhoea mitior euadat.

D.

D. 10. *Sept*, *hora* 10. *antemerid.*, tantum in animi deliquium incidebat, ut reſpiratio aegre, pulſus nullo modo explorari poſſet, durans ſemihorae ſpatium. Tum, adcedente me, ſpiritus anthos fortis ope ad ſe rediens, lentum & altum ducebat ſpiritum, qui a ſumma ſuperſtite praecordiorum anxietate fere praecludebatur. Pulſus paruus, celerrimus, aequalis; aluus adhuc laxa, ſed non adeo copioſa, nec tanto, ac ante, conatu expulſa. Suadebam, ut ſequenti potione binis ſeſe proxume excipientibus horis uteretur, tertia uero, aut quarta demum hora cochlear heſternae miſturae hauriret.

Rec. aqu. pluuial. unc. iii.
acet. prophyl. ſylu. unc. 1
ſucc. citr. unc ſem.
nitr. pur. dr. ii.
ſyr. acetoſ. citr.
rob. ribeſ. ana q. ſ.
M. doſ. cochl. 1.

D. 11. *Sept. mane*, omnia parum mitigata uidebantur; perdurabant lochia; diarrhoea mediocris; ſudor largus; ſitis magna; calor exurens. Loco heſternae potionis emulſionem, ſaporis gratia, expoſcebat:

Rec. ſem. papau. alb
melon. rec.
amygd. dulc. excort. ana dr. 1.

f. l.

f. l. a. c. mucilag. hord. q. ſ. emulſ., colat. unc. 3. add.
antim. diaphor. non ablut. dr. 1.
ſyr. papau. alb.
de alth. Fernel. ana unc. ſem.
M. Sumat ſingulis horis cochl. 1.

Hora 11. *nocturna* tantum denuo in animi deliquium, cum plenaria ſenſuum ac motuum abolitione, ac extremorum, ſudore madentium, frigore, incurrebat, ut apoplexiam proxumam uererer. Miſſo itaque cruore ad uncias decem e pede, haec praeſcribebam:

Rec. aqu. apoplect. unc. 1.
liqu. C. C. ſuccinat. dr. 1.
M. D. omni hora cochl. dimid.

Rec. ol. lauend.
rut.
menth. ana dr. ſem.
M. D. pro inunctione ſcrobiculi cordis, &c.

Refocillata horum uſu noſtra, cuius nouiſſimum animi deliquium a nouis animi commotionibus concitatum fuerat, potione d. d. 10. Sept., & emulſ. d. d. 11. Sept. alternatim utebatur, usque ad *d.* 15. *Sept.*, quo die uires ab increſcente iterum alui fluore uehementiſſimo adeo fractas repperiebam, ut in ſummum uitae periculum aegrotans praeceps daretur. Alternis itaque horis haſce duas potiones in uſum uocaret, atque illam adſtringentem

gentem nunc parce, modo celerius hauriret, prout diarrhoea uel mitigaretur, uel adaugeretur.

Rec. aqu. fl. ſambuc.
ſcorzoner. ana unc. i.
menth. unc. ſem.
Diaſcord. Fracaſt. dr. i.
Conf. d. hyac. dr. ſem.
C. C. uſt.
Terr. ſigillat. ppt. ana ſcr. ſem.
M. doſ. cochl. i.

Rec. aqu. fl. til. unc. i.
naph. unc. ſem.
Conf. alk. incompl. dr. i.
Syr. granat.
moror. ana dr. ii.
M. Doſ. cochleare i.

Lentae in ore ac dentium interuallis haerenti pituitae abſtergendae hoc opponebam:

Rec. mucilag. ſem. cydon. unc. i. ſem.
Syr. pap. rh.
roſac. ana dr. ii.
M. D. linctus pro collutione oris, penicilli ope perficiunda.

Licet uero ſingula hoc modo ex uoto agi uiderentur, uiribus, quantum fieri poterat, conſeruatis, atque diarrhoea ſymptomatica mitigata, ſitique

tique pariter, ac aeſtu febrili tantillum inminutis, d. tamen 17. *Sept.*, neſcio, quo caſu, an forte iterum ira, aut moerore? inopinato rogabar; ut celerrime ad puerperam aduolarem. Videbam propinquus lecto factus, ſenſus externos integre abolitos, mentis ſummam perturbationem, ſummum poſt tot adflictiones uirium languorem, cordis palpitationes, graues praecordiorum anguſtias, pulſum paruum, duriusculum, celerrimum; faciem ex pallido liueſcentem, effroenatum uultum, extremorum frigus, &c.

Igitur ſanguinem ad uncias tantum quinque, ne paucas adhuc oppreſſas uires plane exhaurirem, educendum e brachio curabam, qui elapſa hora totus ſeroſus flaueſcens erat, in medio uix duas, ad ſummum tres cruoris coccinei fulgidi drachmas fouens.

Rec. aqu. cephal. Carol V.
apoplect. ana unc. ii.
ſpir. ſal. ammon. ſ. dr. 1.
M.

Cuius doſis ea lege propinetur, ut initio ſingulis horae quadrantibus 60. ad 100. guttae, redeunte uero ad ſe puerpera, omni ſemihorio dimidium cochleare, tandemque ſuperata fere noua hac adflictione, ſingulis horis tantumdem detur.

Rec. ſpir. ſal. ammon. ſ.
aqu. naph. uinoſ. ana unc. ſem.
M. D. ſpiritus naribus frequenter admouendus.

F Cer-

Ceruicem calido oleo amygd. dulcium ſaepius illiniri iubebam, ad neruorum originem, eorumque e cerebro egredientium truncos laxandos & emolliendos.

Sequenti d. 18. *Septembr.* modo enarratis ſymptomatis fugae datis, emulſionem amygd. dulc. tenuem pro potu ordinario, & potionem d. d. 10. Sept. ad ſymptomata reliqua febrilia depellenda commendabam, quorum quidem uſu fiebat, ut circa menſis huius finem febri carens lectum deſereret; a tanto tamen morbo ita emaciata uiribusque exhauſta erat, ut primum pedes admodum intumeſcerent, ac deinde hydrope anaſarca tangeretur, deque memoriae & iudicii infirmitate, auriumque continuo ſuſurro conquereretur. Partes itaque corroboraturus, linctum; aquam intercutem expulſurus, tincturam; ac capitis aegritudinibus obuiam iturus, ſpiritum ſequenti ordine ſuadebam:

Rec. puluer. cort. Peruu. unc. ſem.
Syr. acetoſ. citr. unc. ii.
papau. alb. unc. 1. ſem.
M. D. agitato de linctu matutinis horis, ſeptima, nona, & undecima cochleare ſem.

Rec. liqu. diar Schroed. dr. iii.
Capiat pomeridianis horis alternis ſo. gt.

Rec. ſal. uolat. oleoſ. D. D. Teltrup. unc. ſem.
D. pro externa capitis ac ſeorſim uerticis frictione cum linteis calide.

Po-

Poſtridie perſpiciens, ſymptomata cum tempore morem geſtura eſſe, prioribus hoc iungebam:

> Rec. ſal. commun. decrepit. ſicciſſ. unc. VI. Adplicetur, quam calide fieri poteſt, utrique ſurae, ſupremoque tumoris loco, & auocata ſuperiori oedematis parte, cum ſacculis, ſaepius ſuper ignem reſiccandis, ſenſim deſcendatur.

Fine Octobris, continuatis hiſce medicaminibus, bona ualetudine gaudebat.

En itaque grauiſſimum per ſe morbum, grauibus praeterea firmatum ſymptomatis, Dei gratia depulſum! qui eo quidem ordine a me non enarratus, ut periodos tertianae duplicis exacte deſcriberem, quas tamen perpetuo ſeruauit, ſed adnotatis tantummodo notabilioribus phaenomenis expoſitus, ut haſce potiſſimum ueritates medicas corroboraret:

1. Ira & moeror, ut omnibus infenſae hominibus, ita puerperis inprimis, ac praegnantibus funeſta ſaepe mala conciliant;

2. Animi deliquium a moerore frequentiſſimum;

3. Non omnibus diarrhoeis fidendum, qui a febribus biliofis ardentibus procreantur: quodſi enim uires nimis frangunt, nec morbum primarium ſucceſſu temporis inminuunt, utique ea mitigandae ſunt ratione, ut uires conſeruentur, nec ſanguis ſero ſuo nimis orbetur;

4. Caueat autem quisque, ne ſimul, ac ſemel illam ſiſtere conetur, quo facto triſtiſſimae tra-

goediae luduntur, febris, adaucta ac retropulſa materie morboſa, in gangraenam uertitur, ſummisque praeuiis praecordiorum anguſtiis, deliria, phrenitis, apoplexia &c., ac cita denique mors aduocantur.

5. Quam tenuis ac ſeroſus ſanguis poſt multa eius profluuia fiat, ſecunda doceat uenae ſectio in noſtra, quae tamen heic loci a duris morbi phaenomenis efflagitabatur: manet igitur ſua laus prouidae uenarum inciſioni, ſed & manet ſimul turpe ſuum opprobrium ſuperfluae illi, quae quoties caput leuiter dolet, aut ſtomachus non bene adpetit, aut artus graues euadunt, aut febricula inuadit, aut puncturae, uelut ab acu profectae, in cute ſentiuntur; ſed quis omnia illa adcidentia recenſeret? cruorem uitalem extrahit. Conf. BOERHAAV. *Inſtitut. Med.* §. 775.

6. In neruorum rigore, ac conuulſione, apoplexia, epilepſia, tetano, &c. praeſtat oleo quodam relaxante & emolliente ceruicem pariter, ac ſpinam dorſi frequenter tepide illinere, quam ſpiritus illos uolatiles, uulgo eosdem ad uſus familiares, adplicare, quippe qui neruorum propagines conuulſas magis irritant, eoque ipſo malum adaugent.

7. Eidem quoque ſcopo interna a. d. 18. Sept. emulſionem amygdalarum dulcium commendabam, ut ſuperſtes inteſtina fibrarum neruearum commotio leniretur, ac integre aboleretur.

8. Viribus a nimia ſanguinis exinanitione exhauſtis, graues capitis morbos memoriae iudiciique infirmitas excipere ſolent.

9. Quo magis in omni fere hydrope corroborans cortex Peruuianus, omnium conſenſu ſano-

rum

rum Medicorum, commendari ſolet, eo magis heic loci ſuadendus ille erat, praeuio tanto morbo, membrorum uigore ualde deiecto, facillimeque intercuti aquae cedente.

10. Reliquis fere omnibus remediis externis, ad cuncta hydropis genera adhiberi externe ſolitis, ſalem culinarem, probe ſiccatum, praefero. Quum enim per omnes fotus tum calorem parti conciliare, tum diaphoreſin in illa excitare ſtudeamus, ſal ille feruidus, ſicciſſimus, duobus ſacculis reciproce & continua ſerie adplicatus, non tantum prolicit ſudorem, ſed & coagulatum ſerum, mobile redditum, imbibere ualet, adeoque duplici effectu prodeſt, aliis fotibus, v. gr. arena, fimo, auena, &c., ſolo fere calore, uirtutem ſuam exſerentibus.

OBSERVATIO XII.

PVRPVRA, CVM FEBRI, EX EPIDEMIARVM REMITTENTIVM TERTIANARVM, DVPLICIVM, CHOLERA HVMIDA STIPATARVM GENERE.

JUreconſulti cuiusdam uxor, fere quinquagenaria, admodum obeſa, ſanguineo-cholerica, quartam ante uiginti fere annos prolem emittens, continuum ab hoc tempore ſiccum totius corporis ardorem ac ſitim ſentiebat. Jam ab illo momento, quo muliebre ceſſauerat profluuium, pedes non tantum nunc tumere, nunc detumere incipiebant, ſed haemorrhoïdibus quoque coecis non numquam uexabatur. Aliquot etiam uicibus acutas ac inflammatorias in febres antehac delapſa erat.

A. 1735. *d.* 29. *Aug.*, coelo pluuioſo ac procelloſo, ſiccum atque calidum ſubito excipiente, *hora* 5. *pomerid.*, poſtquam per menſem, & quod excurrit, multa nauſea, parum licet comedere conſueſſet, uexata erat, in febrim, cum ingenti frigore, nauſeaque, ac reliquis phaenomenis communibus decurrentem, incidebat.

Mane, *d.* 30. *Aug.*, praeuio per noctem ſicco aeſtu, nullo cutaneo madore terminato, plenaria, ceu ferebatur, intermiſſio ſequebatur, quam ob cauſſam

cauſſam aegrota nil, niſi debilitatem quamdam ſentiens, totum diem extra lectum uerſabatur.

D. 31. *Aug.*, *hora* 9. *matut.*, nouus, ſed per omnia uehementior, adcedebat paroxyſmus, ad ueſperam durans.

D. 1. *Sept.* medicus, cui adſueta erat, potionem laxantem, quinque circiter unciarum calide hauriendam porrigebat, e quibus uero compoſita fuerit, me fugit.

Hora 3. *pomerid.* purgari incipiebat, quater hac ueſpera aluum deponens.

Hora 9. *ueſpert.* ſimilem prioribus paroxyſmum ſuſtinebat, ad *horam* 5. *matut. diei* 2. *Septembr.* continuantem.

Inter haec, quum aluus *hac nocte* bis adhuc, e conclaui hunc in finem exeunte aegra, reſpondiſſet, alia eaque noua morbo facies conciliabatur, calore febrili, ſub aurorae aduentu, prioris loco *ἀπυρεξίας*, parum tantummodo remittente, *horaque* iam *ſeptima matutina* altera exacerbatione febrili adpropinquante, ut adeo periodicae continuae, ſiue remittentis uultum exacte prae ſe ferret. Quibus omnibus, aluo fluida in diarrhoeam iam commutata, canalis alimentoſi, praeſertim circa pylorum, ac hypochondrii dextri anteriorem plagam, tormina iungebantur. Sed & minus praetermittendum, capitis dolorem frontalem, ab initio morbi, communem, perpetua cum nauſea ac peruigilio, cauſſam fecuiſſe, duco.

D. 3. *Septembr. mane*, febris remiſſio; at diarrhoea, capitis dolor, calor ſiccus, aluique tandem tormina perdurauerant, quae tamen ultimo recenſita, *nouiſſima ueſpera*, uſu aquae menthae

ſtillatitiae, bis cohobatae, paullulum ad tempus conquieuerant. E re itaque fore medicus credebat, ut ſanguinem e pede mittendum curaret. Qui eductus aeſtuans, alta rubedine, paucoque ſero innatante praeditus erat.

Poſt meridiem nulla prorſus, niſi febrilium ſymptomatum remiſſio; e contrario animi deliquia repetita, ac diarrhoea, & dolores in abdomine & capite pungentes continuabant. Medicus igitur tincturam quamdam bezoardicam pariter, ac potionem, ex aquis ſambuci &c. ſtillatitiis, pulueribus terreis, abſorbentibus impraegnatam, praeſcribebat.

Mane, *d.* 4. *Sept.*, noua febris adceſſio, reliqua phaenomena eadem; praeter ea maculae latae, dilute rubentes, in fronte conſpicuae erant, ab Italis, aliisque nonnullis *roſaliae* dictae; ſed hora uix elapſa, ſponte hae retrocedebant.

Hora ſexta ueſpertina debilior euadebat. Ac abrogato quidem priori Medico, quum ego primum aegrotantem inuiſerem, pulſus mollis, undoſus, modice celer, aliquantulum paruus, aequalis; tormina uehementia; nouum & graue animi deliquium; uomitus tam hauſto theae infuſo, quam emulſione amygdalarum dulcium, a medico primo ea lege praeſcriptis, ut quatuor ad minimum horum liquidorum menſuras, (ſiue libr. 16. pond. medicinal.) quotidie ebiberet; pallor faciei; perſpiratio aequalis, ſed in facie frigidiuſcula; ſummae praecordiorum anxietates; ſpiritus difficilis; i. e. ea ratione moleſtus, ut initio profunde inſpirans, ac celeri curſu facta exſpiratione, collapſis ſubito pulmonibus, interuallum aliquod

liquod ante requireretur, quam ſpiritum ducere rurſus ualeret. Ante omnia igitur uomendi conatibus obuiam iturus, hoc ordinabam:

Rec. ſucc. citr. unc. ii.
ſal. abſinth. ſcrup. ii.
M. ſumat omni hora cochleare unum.

Sedato uomitu hoc dabam:

Rec. esſ. alex. Stahl. dr. iii.
ſpir. C. C. dr. i.
M.D. omni trihorio 30. gt.

Hora 8. *ueſpertina* primum potionis hauſtum capiebat, horaeque tribus uix quadrantibus elapſis, dolor abdominis urgens remittebat, neque nauſea tanta amplius erat. Bis adhuc omni dimidia hora dimidium cochleare potionis hauriendum, atque, febrim remittere quando ſentiret, 30. eſſentiae guttas, ſuperbibendo hauſtum decocti tenuis ceraſorum nigrorum deglutiendum curabam, quem etiam potum ipſi ordinarium iniungebam.

Nocte aliquot horas bene ac conſtanter dormiebat. Ceterum bis aluum deponebat. Vrina, *hora* 1. *nocturna* miſſa, rubra, pellucida, nubeculam albam, globoſam, in fundo praecipitabat.

D. 5. *Septembr. mane*, aegrotantem uiribus parum refectam, maculisque purpureis, prurientibus, in fronte, pectore, artubusque inferioribus

aeque, ac ſuperioribus obſitam inueniebam. Calor blandus, pulſus moderatus, aequalis, naturali aliquanto citatior. Eſſentiam d. d. 4. Sept. ſolam continuabat.

Hora 3. *pomerid.* noua horripilatio, leni gradu horulam durans; ſub huius ingreſſu maculae diſparebant; ſubſequens aeſtus, quem nauſea iterum comitabatur, ſiccus erat.

Hora 6. ueſpertina ſitis magna; bibebat cereuiſiam calidam aqua ſufficienti dilutam, in qua panis ſiligineus toſtus macerabatur; genarum rubentium, & oculorum, ac totius faciei leuis tumor; capitis dolor acutus; tuſſicula; magna praecordiorum anxietas; ſpiritus difficultas; inquietudo. Praeſcribebam:

Rec. Lap. cancr. puluerif.
ſuccin. alb. ppt. ana gr. xii.
croc. gr. vi..

M. f. c. ſyr. capill. uener. l. a. bolus, d. in duplo, ſumat alterum ſtatim, alterum 6. horis poſt, ex hauſtu Julapii ſequentis:

Rec. aqu. cinam. cydoniat.
lil. conuall. rec. ana unc. iii.
ſyr. acetoſ. citr.
rub. id. ana unc. i.
M. ſit uehiculum bolorum, praetereaque omni hora cochlearis unius quantitate hauriatur.

Circa

Circa *horam* 8. *ueſp.* multum pituitae euomebat. Quo facto, mens hilarior, anxietas praecordiorum adleuiata, cetera eadem.

Easdem in anguſtias cordis *media* fere *nocte* redigebatur, aluo tamen clysmo ex aqua & ſale ſoluta, hae ceſſabant.

Hora 4. *matut. d. 6. Sept.* in ſomnum incidebat. Quo *hora* 7. deſinente, aegra multum refocillata, optume perſpirabat, purpureis in cutis ſuperficie maculis reuerſis. Julapii igitur d. d. praeced. uſum ulteriorem commendabam.

Hora 11. *antemerid.* ſolo hoc aeſtum temperante, ac tranſpirationem leniter conſeruante, contentus eram:

Rec. aqu. lil. conuall. rec.
foenic. ana unc. iii.
acet. prophyl. ſylu. unc. I.
mixt. ſimpl. dr. iii.
ſyr. ribeſ. unc. I. ſem.
M. D. omni hora cochl. I.

Quod ad urinam adtinet, illa quidem, quae hora I. nocturna dimiſſa erat, priori, d. 4. Sept. nocte deſcriptae, ſimilis, copioſa; quae autem hora 4. matut. miſſa fuerat, aliquantum turbida, pallidioris priori coloris, ſedimentum duplex, praeceps dabat, quod in medio totius ſuae circumferentiae lineam circularem oſtendebat, cuius inferior pars alba, aequalis, denſa; ſuperior uero poſt 3. tandem horas fundum petens, alba, aequalis, particulis vero ſcabris quaſi leuioribus, ac laxe cohaerentibus, furfuraceis conſtabat.

Veſperi

Veſperi omnia, ut mane; aegra refecta; ſed a uiſitantium turba capitis dolor, & quaedam imbecillitas. Maculae hora 3. pomerid. tanta copia erumpebant, ut tota iis obtecta cutis uideretur. Poſt ea uero ſenſim diſparebant, aegrota licet aeque tranquilla in lecto, ac antea, iaceret. Praeter ea ſexies hoc pomeridie aluus, exigua licet quantitate, excernebatur. Horulam quoque unam alteramue placide dormiſcebat. Remedii nouiſſimi continuatio.

Hora 11. *nocturna* urina magis palleſcens, & citrina, pellucida, nubeculam albam, medium pariter, ac fundum uitri occupantem, ſouens.

Hora 3. *matut. d.* 7. *Sept.* eadem urina, ſolum fundum petens nubes globoſa.

Ceterum bene *hac nocte* dormiens, *hora* 8. *matutina* calorem maxume blandum, ac pulſum fere naturalem experiebatur. Neque haut ita multo poſt maculae copioſius denuo, altiusque erumpebant. Tantae iam aegrotanti uires adcreuerant, erecta in lecto ſedere ut ualeret. Idem remedium, potus iuſculum bouinum, tenue.

Sed adnotatione quoque dignum iudico, ſtragulum duabus antecedentibus ueſperis, me inſcio, renouatum fuiſſe. Quo ipſo facile oſtenditur, neque omnem omni tempore purpuram lectorum quotidianam renouationem prohibere, neque tam ſuperſtitioſe, ceu uulgo fieri ſolet, a particularibus phaenomenis ad uniuerſalia axiomata confugiendum eſſe. Haut tamen facile dixerim, cautelas huiusmodi practicas ſtudio negligendas eſſe, quin potius, eo magis circumſpectam operam nauandam,

uandam, ne perſpiratio laedatur, maculaeue retropellantur, exiſtimem.

Veſperi omnia eadem; maculae, ut antea, ita & nunc ueſpertinis horis diſparebant; continua ad ſomnum diſpoſitio; lotium, quale hoc mane; aluus ſexies hac die aperta.

D. 8. *Sept.* eadem morbi conditio. *Mane* aluum ſua ſponte, quantum quidem conſtabat, ſuppreſſam, tormina inteſtinorum ac teneſmus excipiebant; urina prioribus ſimilis: remedium nouiſſime praeſcriptum.

Pomeridie & *ueſperi* profundior ac difficilior reſpiratio; anxietates praecordiorum mediocres; obſcuri paullulum oculi; mens tamen tranquilla; corpus frigidiuſculum. Mitram renouatura, frigidam, madido, a ſudore, capiti non tantum impoſuerat, uerum aërem etiam frigidum, per apertam conclauis ianuam, receperat, neque minus copioſos citri taleolos, ſaccharo dulces redditos, comederat. Ex ſumta matutinis horis olei amygdalarum dulcium recentis, ſine igne parati, uncia, (ob haemorrhoïdales enim uarices nil amplius, clyſmi aut ſuppoſitoriorum ſpecie, per anum admittere poterat:) bis aluus reſpondebat. Extra omnem itaque dubitationis aleam poſitum erat, phaenomena haec modo expoſita nil aliud, quam effectum nimis cito retroceſſae purpurae eſſe. Quare ut hora 3. pomer., & ueſpertina nona doſin eſſentiae d. d. 4. Sept., interpoſito ultimae potionis uſu, hauriret, praecipiebam. Quibus ſollicite factis, ſtraguloque hac ueſpera non mutato, calor moderatus, qui durantibus uigiliis ſiccus, poſt ſomnum uero parum humidus erat,

erat, inminuebatur; capitis & abdominis dolores conquieſcebant, ac reliqua pectoris ſymptomata mitigabantur. Lotium hac die prioribus plane ſimile.

Nocte graui, ac profundo, uariisque inſomniis moleſto ſomno fruebatur.

Mane, *d.* 9. *Septembr.* ſatis uegeta bibebat cereuiſiam tenuem, calidam; ſumebat doſin eſſ. d. d. 4. Sept; calor lenis; pulſus bonus, cum Symptomatum in thorace, praecordiorum uidelicet anxietatis, ac reſpirationis grauis remiſſione; maculae redire uidebantur; urina adhuc eadem. Interpoſita potione d. d. 6. Sept, hora undecima doſin eſſ. ſaepius memoratae hauriebat, iuris bubuli aliquot uncias ſuperbibens. Ex odore florum Cyani Turcici Moſchati magnam refocillationem ſentiebat.

Poſt meridiem duas horas extra lectum erat.

Veſperi uero nimis ſtomacho ſuo confidens, ac fruſtum autopyri, butyro illiti, comedens, *nocte* ſomno quidem aliquali, ſed cephalalgia interrupto, gaudebat.

Die 10. *Sept. mane*, plenaria *ἀπυρεξία*, capitis obtuſus aeque dolor, ac circum circa ſub coſtis ſpuriis; lectum deſerebat 4. horas. Sumendam praeſeruationis gratia eſſ. d. d. 4. Sept. ad 30 guttas praecipiebam, & intra conclaue maneret, lectumque certis interuallis repeteret. Vrina hoc mane citrina, poſt turbida, horis autem duabus elapſis, ſedimentum album, leue ac aequale, deponens

Nulla poſtmodum exacerbatione uexabatur, ſed

ſed paucos poſt dies integre conualeſcebat. Quum uero haut ita multo poſt nimium braſſicae criſpae, piſciumque marinorum comediſſet, neque minus aëris uentoſi pluuioſique injuriis ſe expoſuiſſet, per octiduum adhuc febri tertiana intermittente leni corripiebatur, a qua tamen ſponte libera brevi euadebat.

Supereſt, ut propoſito meo morem gerens, pauca ſubiungam conſectaria:

1. Vulgare heic terrarum eſt, aëre ſereno ac ſicco repente in pluuium humidumque uerſo, praeſertim ſi uenti Sw., W. & Nw. ſaeuire ſimul incipiunt, frequentes ſuboriri febres remittentes, modo quotidianas, modoque tertianas, duplices, ſub quarum qualibet adceſſione, ſiue mane illa adpropinquet, ſiue ueſpertinis inchoët horis, multum uomitur, neque ingeſtorum hauſtorumue potulentorum quidquam remanere intus poteſt, pleriſque etiam uenter magno cum molimine ac ſaepius ſoluitur.

Quod ſymptoma cholerae humidae adpellari nomine ſueuit, ac quauis ſub febrili remiſſione ceſſare, proxumaque cum exacerbatione reuerti ſolet; non numquam tamen ſine ulla uenia per aliquot dies protenditur, quid? quod merum aliquoties ſanguinem per inferiora, acutiſſimis ſub lancinationibus, redditum eſſe in quibusdam obſeruaui. Inmanis porro complures cephalalgia ac lumborum cruciatus & uariorum generum ructus torquent. Quoties incongrua methodo diarrhœa ſedatur, non hi ſolum mox expoſiti dolores uehementer ingraueſcunt, ſed & comprimens ac inſignis praecordiorum anguſtia, & flatus, & tuſſicu-

la,

la, & ſpiritus difficultas, & animi interdum deliquia in conſenſum uocantur, quae tamen omnia, ſubductis, qua fieri poteſt; celeritate, fecibus, euaneſcunt. Plerumque per copioſiſſimum lotii ſedimentum, aut ſudorem, ſi praedictos exceperis motus criticos, ſeptimo aut decimo quarto morbi die, terminatur. (*a*) Exanthemata uarii generis eidem ſuperueniſſe morbo, rarum eſt.

2. Hoc quoque ex motu critico, ſalua purpurearum eruptione macularum, per totum morbi decurſum diarrhoea continuabit.

3. Idem phaenomenon aliquoties in varioloſis obſeruare licuit, quibus conſtans alui fluxus puſtulas uarioloſas nullo modo interpellebat, ſi conueniens tantum in reliquis morbi circumſtantiis methodus adhibebatur. Cauſſam manifeſtam in febris huiusce epidemiae natura quaerere licet, cuius quippe periodi medias inter variolas adcuratum typum ſeruabant.

4. In febribus exanthematicis blanda acida calidis illis, ac aromaticis, ſuperbo bezoardicorum titulo inſignitis remediis, palmam dubiam certe reddunt. Quando autem maculae foras propelli debent, paucae guttae ſpir. C. C., aut miſturae ſimplicis, cum uel ſine camphora, aut eſſ. alexipharm. Stahlii, utramque paginam abſoluunt, quorum parco uſu febrilis calor lenem ſtimulum recipiens, ac impuritates ſeroſas ad cutis peripheriam amandans; non ſolum maculas brevi conſpicuas reddit, ſed etiam cum egregio ſymptomatum

(*a*) Confer, quae de indole naturaque huius epidemiae febris in *Commerc. litterar. Norimberg. Ao.* 1736. *hebd. III. pag.* 18. *ſqq.* expoſui.

tum reliquorum adleuamento reſolutas, quamplurimas haſce inflammatjunculas purpureas, roſcidi ſpecie ſudoris, expellit.

5. Venae ſectio in pleriſque huius indolis febribus ſuperflua euadit, & plus noxae, quam emolumenti adfert, ſi pauciſſimos quosdam eximas caſus, ubi inſignis plethora, aut pertinax ad caput cruoris adſcenſio &c., urgens contraindicans efficiunt.

6. Fieri in his quoque febribus remittentibus, ſi exanthemata ſimul adſunt, ſueuit, ut quovis ſub exacerbationis principio maculae purpureae, ſine ulla prorſus noxa, aut uitae periculo, retrocedant, ſponte autem cum ſudore febrili iterum compareant, hancque tam diu ſcenam ludant, donec epidermidis ſquamae ubicumque delabantur.

OBSERVATIO XIII.

MORBILLI, CVM REMITTENTE TERTIANA, DVPLICI, AC CHOLERA HVMIDA.

Superiore propoſui hiſtoria purpureas maculas febri remittenti epidemiae permiſtas: aliam huic iungere animus eſt, quae morbillos fouebat.

D. 29. *Octobr.* 1735. iuuenis ſtudioſus octodecim annorum, cholericus, macilentus, de laſſitudine ac grauitate omnium membrorum conquerebatur. Morbilli tum temporis epidemici erant.

D. 30. *Octobr.* in febrim continuam incidebat, quae poſtmodum periodica in tota corporis ſuperficie cum pectoris anxietate ac oppletione, ſpiritu anguſto ac diarrhoea copioſa excitabat.

Nocte nullus ſomnus; aeſtus maior; pulſus celerior, durus, aequalis; diarrhoea grauior; adſumtorum non mutatorum ſubitaneus ac repetitus uomitus.

D. 31. *Octobr.* mane ego uocatus, ſubtumidum uultum, praecipue ſub oculis, conſiderans, pectoriſque modo adlata mala perpendens, haec dabam:

Rec. eſſ. alexiph. Stahl.
tinct. ſal. tart.
ſpir. ſal. ammon. aniſ. ana dr. 1.
M. D. omni bihorio 40. gutt,

Rec.

Rec. Expr. millep. ſimpl. Full. unc. III.
Sumat omni hora cochl. unum.

Veſperi uomitus iterum maior euadebat. Ad motum igitur uentriculi & oeſophagi antiperiſtalticum inuertendum, eoque ipſo uomitus ſiſtendos uſitatum Riuerianum mixtum *hora* 4. *pomerid.* porrigebam:

Rec. ſucc. unc. II.
ſal. abſinth. ſcr. II.
M. D. omni ſemihora reciproce cum expreſſ. milleped. cochleare unum.

Hora 9. *ueſpertina*, deſinente uomitu, plurimi morbilli in facie, pectore, & manibus, ad flexuram usque cubiti conſpiciebantur. Ceterum noua febrilis adceſſio, prioribus paullo grauior, cum leni cutis roſcido madore, ſequebatur. Nullus hac nocte ſomnus, qui tamen praecipue a frequenti tuſſicula ac erumpentium morbillorum acuta, moleſtaque, ac pruriente punctione deriuandus erat.

Mane, *d.* 1. *Nouembr.*, mitigata exacerbatione, aeger totus rubicundus adparebat, bene perſpirabat, ſed tuſſicula maiori ac inſigni raucedine uexatus. Dabam hoc:

Rec. ol. amygd. dulc. r. ſ. ign. unc. iii.
F. e. ſacch. alb. farinac. q. ſ. linctus pectoralis, quo de bene agitato ſaepius cochlearis

 unius

unius alteriusue parui quantitatem ſenſim deglutiat. Cui eſſ. de die praeced. ter quotidie hauriendam, adiungebam.

Ex frequenti taleolorum citri, ſaccharo conſperſorum, comeſu, quo aeſtum lenire tentabat, raucedo augebatur.

Nocte febrilis adceſſio lenior; mador cutis; ſomnus reficiens.

D. 2. *Nou.* omnia bona; morbilli optumi & copioſi; poſt linctus uſum uomitus, qui tamen haut amplius ex morbi natura, ſed aegrotantis in oleoſa ac ſyrupos faſtidio naturali, quod mihi latuerat, oriebatur. Cuius igitur uices elixirio pectorali Wedelii quolibet bihorio ad centenas guttas e uehiculo conueniente ſumendo ſupplere tentabam, addita d. d. 31. Oct. bis in die continuatione.

D. 3. *Nouembr.* maculae in facie diſparebant, in pectore & artubus haerebant. Quae reliqua erant ſymptomata, omnia leniori incedere gradu deprehendebantur. Diarrhoea quae ad hanc usque diem immutatum ſuum curſum ſeruarat, iam ſponte conquieſcebat.

D. 4. *Nouembr.* maculae in pectore adhuc ſuperſtites, in artubus nullae. Viribus aeger creſcebat, ſapor in ore fatuus. Elixirio pectorali Wedelii ſolo utebatur. Veſpere lectum egrediebatur.

D. 5. *Nouembr.* aeger conclaue deſerebat, ab omni morbo inmunis, niſi quod raucedo & tuſſis ſicca in minori adhuc gradu ſupereſſent, ad quas de-

debellandas morbi reliquias praedicti uſum elixirii commendabam.

Ergo diarrhoea iterum non potuit impedire, quin morbillorum maculae tum abunde emergerent, tum firmiter in omni cutis ambitu perſiſterent.

Dantur ergo morbilli, qui ſecundo tertioque morbi die iam adparentes, ſeptimi fine diei criſin abſoluunt perfectam.

Ergo febris remittens tertiana duplex, cholera humida ſtipata, morbillos etiam itineris comites adſumit, qua de re plura litteris mandare poſſem, niſi haec teſtimonii loco inpraeſentiarum ſufficere arbitrarer. Neque ullus, ſymptomaticis hiſce morbillis, eo temporis decurſu complures, tam infantes, quam prouectioris aetatis homines inuadentibus, tactus, uitae periculum incurrebat. Paullo tamen calidiora, quam aliis in morbillis idiopathicis, remedia facile ferebant, quorum adminiculo ſanguis, magna ſeri ſui quantitate per choleram humidam orbatus, in eo circulo conſeruabatur, ut maculae exanthematicae penitus defloreſcerent, ac proinde inflammatio integre reſolueretur.

OBSERVATIO XIV.

CEPHALAEA IDIOPATHICA FVNESTA.

Correptus quartana, ac paullo poſt tertiana intermittente, iuuenis quidam, aurifaber, 24. circiter annorum, cacochemicus, phlegmatico-cholericus, lacertoſo, aſt ſuboedematoſo ſimul corporis habitu gaudens, qui inordinatam uitam uiuens, ante biennium ſpirituoſis potibus magnopere delectatus fuerat, *Septembri & Octobri* 1738., omnem mouebat, ſuaſu amicorum, lapidem, ut, depulſa medelam per domeſticam, febri, cum ſanitate in gratiam rediret.

Principio quoque *Nouembris*, neſcio quo remedio, febri euaneſcente, ſpiritum uini medicatum, in quem radices helenii, calami aromatici, armoraciae, fructus piperis &c., naturalis, ut aiebat, recuperandi caloris cauſſa iniecerat, per octiduum, haut exigua doſi, hauriebat. Nihilo tamen minus grauitate artuum inſuperabili, ac inſigni debilitate, & anorexia ſuperſtite, *circa finem dicti menſis* obtuſo, at ſatis moleſto capitis uniuerſi dolore uexabatur. Quo quidem malo per ſequentes incrementum capiente dies, *d. 6. Decembr.*, aliorum perſuaſione commotus, ut ego aduocarer, decernebat. Lecto miſerum hunc ab octo diebus adfixum reperiebam, nil niſi grauiſſimam, eamque uehementem cephalalgiam, & peruigilium,

ac

ac artuum grauitatem, torporemque membrorum dolentem: ceterum pulſus modice plenus, lentus, & prorſus aeque, ac aluus naturalis erat.

Dictis ex phaenomenis nihil aliud colligere poteram, quam conſenſualem, forte ex ſtomacho oriundum capitis dolorem, cui nimia corporis in aërem frigidum expoſitio, inordinata uictus ratio, ac incipiens grauedo iungeretur, praeſertim quum de naribus pituita occluſis mentionem faceret. Lene itaque uomitorium, ſequenti mane cum regimine ſumendum, iuncto ſpiritu grato errhino propinabam:

Rec. Ypecacuanh. ſcrup. I.
tartar. emet. gr. I. ſem.
Syr. roſac. ſolut. dr. III.
M.

Rec. ſpir. anth.
lauend. ana dr. VI.
ſal. ammoniac. ſimpl. dr. I.
Balſ. uit. liquid. ſcr. IV.
M. D. ſpiritus naribus adtrahendus, eodemque frons, ceruix, tempora, &c. fricanda.

Quamuis autem noſter *d.* 7. *Decembr.* quater multum ſentinae pituitoſo-bilioſae euomuiſſet, atque bis aluum exoneraſſet, momentique ſpatio a ſpiritus uſu refocillari uideretur, idem tamen, pulſus licet ac urina naturales permanerent, capitis dolor, & torpor, & ciborum faſtidium, & peruigi-

 lium,

lium, & artuum grauitas obſeruabantur. Lene itaque anodynum dabam cum hiſce ſpeciebus pro cucupha:

Rec. eſſ. alexiph. Stahl. dr. III.
Laud. liquid. Syd. dr. ſem.
M. D. omni bihorio 40. guttae.

Rec. hb. betonic.
botryos,
marrub. alb.
origan. ana manip. I.
camph. ſcr. IV.
Inc. cont. gr. m. D. ſpecies, hoc liquore non numquam irrorandae, capitique adplicandae:

Rec. aqu. roſac.
lauend.
apoplect. ana unc. I.
balſ. uit. liquid. ſcr. I.
M.

D. 9. Decembr. per alias occupationes auocatus, rediens eadem omnia obſeruabam. Enixe petebat aegrotus, ſomnum ut prouocare ſtuderem, qua in re facile adſentiri ipſi poteram, quum nullum contraindicans adeſſet.

Rec. Laud. liqu. Sydenh. gr. XXV.
D. hauriat hora 9. ueſpertina e conuenienti uehiculo.

D

D. 10. *Decembr.* ne ulla quidem *mane* ſymptomatum inmutatio, neque ſomno gauiſus fuerat aeger. Vereri ſe delirium *ἀπύρετον* adſerebat, ni haut enarrabilis dolor capitis, in omni eius parte aequalis, leniretur. Repetebam igitur, quod ante triduum iam feceram, uenae ſectionis commendationem, ad quam ſubeundam uix multis commoueri poterat perſuaſionibus. Tandem uero morem gerenti cruor e pede ad integram libram ponderis ciuilis ſine ullo animi deliquio, aut doloris remiſſione, educebatur, qui tenaciſſima, craſſa & inflammatoria pelle coopertus, ac in fundo ſubſidens, multum ſeri ex flauo uirideſcentis, atque ſupernatantis oſtendebat. Bina quoque brachiis ueſicantia imponebantur. Pulſus & urina ne quidquam de ſanitate deflectebant; aluus aperta.

Mane, *d.* 11. *Decembr.*, pulſus licet naturalis exſiſteret, adſtantes referebant, illum ſub primam noctem delirare leuiter coepiſſe. Id quod & ego, lecto propior factus, experiebar: confuſe enim ad quaeſita reſpondebat, abſona, leni tantum cum murmure, ſecum locutus; per interualla tamen cum ratione ſermones proferebat. Neque alia primi morbi inmutatio, quam doloris augmentum mediocre, ac mentis per interualla abalienatio, obſeruari poterat. Inter haec uero delirium cum febre metuens, uenam in brachio iterum incidi, ad uncias duodecim ſanguinis extrahendas iubebam:

Rec. Pluuiae unc. 1. ſem.
acet. prophyl. ſylu. unc. 1.
ſucc. citr.

tinctur. roſ.
fl. bellid. ana unc. ſem.
eſſ. alexiph. Stahl. dr. II.
Syr. ribeſ.
pap. a. ana dr. VI. vel q. ſ.
M. capiat ſingulis horis cochl. I.

Praeter ea quoque tam capiti fermentum panis acre, cum ſalis culinaris portione admouendum, quam utrique pedis plantae ſinapiſmum, e fermento panis acri, ac conuenienti, ad cutis ſcilicet euidentem rubedinem, ſeminis ſinapeos quantitate miſtum adligandum curabam.

At *ueſperi* cuncta non eiusdem ſolum tenoris reperiebam, ſed delirium quoque grauius euaſerat: maniae inſignem diceres gradum, ſi furor externus adfuiſſet.

D. 12. *Decembr.*, aegrotum uix 6. uiris noctu in lecto contineri potuiſſe, referebatur, cui adhuc pulſus & urina naturalis, ſed aluus heri clauſa. Mittebamus denuo cruoris uncias decem e brachio, eadem qualitate, ac antea, praediti, fruſtraneo tamen conatu. Sic ſuppoſitorium quoque in recto manebat inteſtino, quod ex aloës ac mell. deſpum. ſufficienti quantitate & granis ſex trochiſcorum Alhandal parari iuſſeram.

Veſpertinis horis ſingula eadem, at graue illud delirium maniacum adeo inminutum, ut ſuperſtes mentis abſentia eam, quam noctu d. 10. Decembr. habuerat, faciem prae ſe ferret. Repetitum ſuppoſitorium matutinum fruſtra rurſus introducebatur. Hunc igitur clysmum ſtimulantem & acrem, cogni-

cognito grauiori torpore univerſali, inmittendum praeſcribebam:

Rec. hb. malu. manip. II.
nicotian. manip. I.
Fol. S. S. S. unc. I.
Coqu. l. a. c. q. ſ. aqu. ſimpl.; colat. expreſſae forti ad unc. 10. add.
ſal. culinar. unc. I.
Gemm. dr. ii.
M.

Quo facto, utrumque ſuppoſitorium, quibus nihil de priſtina ſua figura deceſſerat, atque hic clysmus, ſine ullis tamen fecibus, reuertebantur, ſatis claro indicio, inteſtina motu ſuo naturali atque calore inſito priuata eſſe.

Rec. tinct. fl. bellid. unc. I.
Syr. pap. alb. dr. iii.
M. D. omni hora 80. gt. ex uehiculo aquoſo.

D. 13. *Decembr.* cuncta, ut ante; iſchuria; tenesmus:

Rec. Liqu. diur. Schroed. unc. ſem.
D. 50. gt. alternis horis cum praecedente tinctura.

Quum itaque uiderem, neque tot aluum ducentia fortiora, neque iniectos ex forti muria ſalina clyſteres

ſteres uentrem ſoluere poſſe; neque liquorem diureticum Schroederi, aut impoſitas pubis regioni cepas, in cineribus aſſas, uel diureticos & emollientes fotus, hypogaſtrio calide cum pannis laneis adplicatos, lotium ciere; omnia morbi phaenomena in peius ruere; ac tandem perfectam omnium membrorum reſolutionem adcedere: breui de morbo iudicatum iri pronuntiabam.

Cui etiam effato prognoſtico, poſtquam *hora 9 ueſpertina* pulſus minimus, celer, interruptus, myurus, ſuperuenerat, euentus *proxuma nocte* mox ante aurorae adparitionem, reſpondebat. Sectionem cognati nolebant.

SCHOLION.

An igitur ſola in uentriculis ſinubusue cerebri collecta pituita, aut aliquis tumor pituitoſus cerebrum, ac ſeorſim neruorum origines, ac medullam illius oblongatam, ita oppreſſit, ut primum ſtupiditas quaedam e magno dolore cogitandi atque iudicandi, tum generalis torpor, membrorumque flacciditas, ac atonia, poſt ea maniae quidam gradus, tandemque, impedita prorſus liquidi neruei in partes inferiores, praecipue in par uagum, totalis membrorum reſolutio enaſceretur; profecto ſi quis tot internorum externorumque adplicationem remediorum fruſtraneam, uenae ſectionis repetitae exiguum commodum, tot acrium clyſmorum irritam inmiſſionem, &c., animo uoluit, credere cogetur, adfuiſſe quid, neruo-

uorum originem premens, liquidique neruoſi in capillares ſuos tubulos fluxum occludens. Quibus tamen uitia, ipſis ſpiritibus animalibus competentia, excipere nolim. Quid autem aequo porro lectori uidetur, ſi pertinacis cephalalgiae antecedentem cauſſam, ſepoſita idioſyncraſia noſtri phlegmatica, habituque corporis ſuboedematoſo, in febri ui aut inordinate ſuppreſſa, factaque hinc cruoris pituitoſi ad cerebrum metaſtaſi quaeramus? ſimul tamen elucet 1. poſſe ueram mali originem, poſſe ueram morbi indolem medico ab initio latere, quando ſigna communia adſunt, quae pluribus nimirum aliis adſignari morbis ualent.

2. Iudicium difficile eſſe ſecundum *Coum*: quis enim in principio doloris de abſcondito in herba angue, morbiue tam altis radicibus, ſuſpicatus fuiſſet?

3. Pulſu & urina bona, aegrum ſaepe mori.

4. Spirituoſorum internus uſus in melancholicis maniam furioſam excitare poteſt.

5. Venae ſectionis repetitae utilitas maxuma in deſperatis capitis doloribus: licet enim mors heic decreta eſſet, potenti tamen efficacia maniam incipientem ad torporis melancholici gradum reuocabat.

6. Vere Baglivus *Prax. Medic. Libr. I. p. m.* 111. iniectus clyſter ſi intra unius horae ſpatium reddatur, bonum; ſi uero prorſus retineatur, malum: indicat enim influxum ſpirituum in fibras inteſtinales a cerebro fere impeditum eſſe.

7. Totali partium reſolutione adcedente, mors inminet.

OBSERVATIO XV.

TVMOR FAVCIVM ET VVVLAE PITVITOSVS, IN INFLAMMATORIVM MVTATVS.

A. 1736. *a. d.* 7. *Febr.*, uentis auſtralibus, aëreque nebuloſo, & frigido exiſtente, adcedebat ad me filius aegrotantis uiduae, 68. annos natae, quae macilenta, tenera, ab incunabulis ad uarias catarrhales adfectus prona, atque hanc ob cauſſam ſaepius conſiliis meis uſa fuerat. Iam, praeuia grauedine inſigni a 4. uel 5. menſibus, quam iugis alui fluor exceperat, aliquot dies nil, niſi liquida, & haec quidem ſatis moleſte, ſorbere potuerat, reliqua deglutitione penitus impedita. Quaerenti e filio, an tumor aliquis externus adeſſet, faucesue arderent, reſpondebat ille, ueſiculas ſe quidem in lingua uidiſſe, nullum uero externum tumorem percepiſſe, ſed obtuſo fauces dolore, motu oſſis hyoïdis adaucto, adfici, praeter ea quoque illam tuſſire.

Rec. caryophyll. arom. unc. ſem.
 rad. pyrethr. dr. ii.
Inc. gr. m. coqu. c. libr. 3. aqu. ſimpl., uel q. ſ. ad notabilem decocto acredinem conciliandam, quo calido colluat os & fauces, ſingulis horis, aut ſaepius.

Rec.

Rec. L. Saſſafr. unc. ſem.
Guaiac. dr. II.
aniſ. ſtellat. dr. VI.
ſem. foenic. dr. III.
Inc. cont. decoqu. ſpatio ſemihorii cum aqu. ſ. ad remanent. libr. 4., hauriat colaturae calidae 2. ad 4. ſcutellas omni quadrihorio.

D. 23. *Mart.* revertebatur filius, qui matrem ab uſu praedictorum fere conualuiſſe, ſed nimis cito aëris uerni iniuriis expoſitam, iam priori ſuo malo, hac tamen differentia, uexari adfirmabat, quod nunc fauces ardeant, atque febricula catarrhalis tertiana duplex adceſſerit, neque tanta pituitae copia in faucibus adeſſe ſibi uideatur. Tumore igitur pituitoſo in faucium pariter, uuulae inflammatorium abeunte, hunc demulcentem, reſoluentem, atque leniter abſtergentem linctum, iunctis guttulis diaphoreticis, praeſcribebam:

Rec. Syr. de eryſ. Lobel. unc. II.
decoct. fic. pingu. unc. I.
eſſ. pimpin. alb. dr. II.
croc. pulueriſ. ſcrup. ſem.
M. Detineat aliquantisper eam, quam duo parua cochlearia excipiunt, quantitatem in ore, retardataque uerſus fauces deuolutione deglutiat.

Rec. eſſ. alex. Stahl. unc. ſem.
D. omni trihorio 30. gutt. e conuenienti uehiculo. *D.*

D. 25. *Mart.* mitigatum quidem ardorem eſſe, ac melius matrem ſe habere, filius adſerebat, ſuperſtitem tamen morbum medelae continuationem expoſcere, illamque omnia ſibi uulgaria potus genera faſtidire, excepto ſero lactis dulci, poſt huius tamen uſum diarrhoea torqueri.

Rec. hb. mercurial. manip. II.
fl. pap. rh. pug. II.
Inc. gr. m. D. pro ſpeciebus infuſi aquoſi theiformis, cum pauxillo lactis calide bibendis.

Huic reliquas, nudius tertius praeſcriptas iungeret formulas, praecipiebam.

Elapſo triduo ſana euadebat.

Sed d. 10. *Iulii*, quum uentos N W., N. & N O. aliquot ſeptimanis continuus aër frigidus & nubilus comitaretur, noſtraque ſanitati ſuae nimium credens, iuſto plus domeſticis rebus ſeſe inmiſceret, in eumdem morbum recidebat, cum feruidis e ſtomacho adſurgentibus borgborygmis, ſiti inſatiabili, & febricula remittente. Cereuiſiae numquam adſueta, theam aut ſimilia potus genera adhuc auerſans, ad ſerum lactis dulce iterum confugerat, cuius uſum diarrhoea larga, uireſque in uetula hac ualde frangens, cum flatibus in inteſtinorum canali, perpetuo cum murmure, oberrantibus, ac egredi neſciis, ſequuta fuerat. Ad praecauendam igitur uentriculi inflammationem, aeſtumque internum temperandum, hoc propinabam:

Rec.

Rec. tinct. uiolar.
papau. rh. Mynſ. ana dr. iii.
ſpir. ſulph. p. camp. q. ſ. ad grat. acor.
ad guttas. xxx.
M. hauriat ex frigidae uncia omni bihorio
50. guttas.

Rec. decoct. hb. brunell. unc. iv.
mell. roſat. unc. 1.
M. pro gargarismate, ſaepius in die adhibendo.

Loco ſeri lactis dulcis acidum commendabam, quo fiebat, ut paucis diebus poſt cum ſanitate non ſolum in gratiam rediret, ſed ternis etiam deinceps uicibus, nimirum auctumno huius anni, ac uernis anni 1737. menſibus, bis in eumdem hunc nouiſſime ſcriptum morbum delapſa, exoptato cum euentu, eadem uteretur medela, linctu ſcilicet d. d. 23. Martii, tinctura & collutione d. d. 10. Julii, iuncto potu ſeri lactis acidi.

Hinc ſequentia patent: 1. quam facilis ſit tumoris faucium pituitoſi in inflammatorium tranſitus; 2. quanta praecautione opus ſit, ut quaerendo examinemus, uter horum adſit tumor, ne pituitoſum credentes, acrium ope collutionum, inflammationem magis promoueamus, quam eidem medeamur; 3. quam facile reuertantur hae inflammationes, e leuiſſimo diaetetico, ac praeſertim corporis in aërem pluuioſum, nebuloſum, frigidum, uentisque borealibus agitatum, expoſiti errore, quod quinquies intra anni ſpatium experta ſuo fuit damno uidua noſtra; 4. ſerum lactis dulce, quod in

 com-

compluribus, praecipue delicatulis, obſeruaui, flatus ac murmura creat, diarrhoeam excitat; 5 ſerum lactis acidum calorem febrilem temperat, reficit, flatus diſcutit, ſitim lenit, aluum naturalem ſeruat, ac commodus in acutis potus exſiſtit; 6. egregia, quae toties confirmata eſt, eſſent. pimpin. alb. uis reſoluens in inflammatoriis faucium, ac uuulae tumoribus, ſi uel ſola hac fauces colluantur quater aut quinquies in die, aut ſyrupi cuiuscumque congrui ſingulis unciis duae, uel quod efficacius, tres eius drachmae addantur, atque hic linctus ſenſim lenteque deglutiatur, ita, ut pauliſper in faucibus aliisue oris inflammatis partibus detentus haereat; 7. in pituitoſis huiuscemodi tumoribus collutiones ex decoctis apophtegmatizantibus, aut parum adſtringentibus omnem abſoluunt paginam, quorum quippe uſu morboſa pituita, ſaliuationis momentaneae ope, exſpuitur, partes eadem obductae abſtergentur, ductusque ſaliuales obſtructi reſerantur: quae medendi quoque methodus in multis a cauſſa frigida obortis odontalgiis, otalgiis, reuulſionis ſcilicet lege, &c. ualet.

OB-

OBSERVATIO XVI.

FEBRIS PERIODICA, TERTIANA, DUPLEX, EX EPIDEMIARUM GENERE, CUM ARTUUM SUPERIORUM CONVULSIONE.

QUum *auctumno* 1735. complures ex febri epidemica remittente, tertiana, duplici decumberent, quae ex aëre utplurimum tum temporis pluuioſo, atque hinc aquoſis redditis fructibus horaeis, oboriri potiſſimum uidebatur, inter alios etiam *d.* 19. *Septembr. eiusd. anni* mercator, triginta circiter annorum, macilentus, longus, facie roſea, manſuetus, mari uicino loco commorans, in eamdem febrim incidebat.

Altero die 20. *Septembr.* uenam pertundendam curabat. Inter haec morbus hiſce fere *ad d. quintum usque Octobr.* ſymptomatibus augebatur. Aeſtus magnus, finiente adceſſione madidus, alias ſiccus; ſitis; capitis dolor; dyſorexia; peruigilium; pulſus calori febrili conformis; magna debilitas; exacerbationes omni ueſpera redibant, ſed alternis ueſperis ingraueſcentes. Pharmacopoei medicaſtri ſuaſu pulueres terreos, abſorbentes, & eſſentiam ſtomachalem ex eſſ. gentian. rubr., amar. Ringelmann., &c. compoſitam, ſine ullo emolumento, adhibebat, quin aegritudo potius in deterius uergebat.

D. 5. Octobr., *morbi ſeptimo ſupra decimum*, ego tandem aduocabar. Ac enumerata quidem praeter ſymptomata aeger adeo debilis erat, ut dorſo diductis artubus incumbere deberet. Aeſtus internus uehemens, externus placidus erat; pulſus ualde celer, fortis, durus, aequalis; ſudor continuus, copioſus, qui magnis guttulis collectus, in dorſo manuum ac facie, frigidiuſculus haerebat; aluus tertio abhinc die clauſa; urina citrina, poſt ea craſſa, albida, nullum ſedimentum deponens. In primis uero adtentione dignum uidebatur, artuum ſuperiorum conuulſiones hac ratione heri adceſſiſſe, ut certis, aſt breuibus interuallis aegrotans, aliquid manibus adrepturus, illud forti totius brachii motu conuulſiuo agitatus, contrectare aut capere iisdem nequiret. Etiamſi in lecto quietus decumbebat, duobus tamen horae minutis circiter elapſis, iidem motus conuellentes reuertebantur.

E quibus clare adparebat, lenes has atque particulares conuulſiones uehementiorum fore prodromos, niſi latens ſub herba anguis, ingens ille aeſtus internus, exſtingueretur, ac uillorum nerueorum contractiones inuoluntariae placarentur. Quem in finem haec conficiunda curabam:

Rec. tinct. papau. rh. Mynſ. unc. 1.
ſpir. nitr. dulc.
miſtur. ſimpl. ſ. camph. ana dr. 1.
M. D. alternis horis reciproce cum ſequenti potione, 60. gutt.

Rec.

Rec. Pluuiae unc. IV.
acet. prophyl. Sylu. unc. I.
nitr. papauerin. unc. ſem.
Syr. acetoſ. citr. unc. ſem.
M. edulcor. par. ſacchar. alb., ſumat, cum priore alternis horis cochl. I.

Praeter ea ut ſiccitati oris ac linguae, craſſo fuſcoque muco obductae conſulerem, aegrotae iniungebam, ut ſalis prunellae drachma una, in aquae libr. I. ſoluta, os frequenter collueret.

Ad uires autem inſtaurandas externe hoc praeſcribebam:

Rec. ſpir. ſal. ammon. ſimpl. unc. ſem.
ol. citr. gt. III.
cinam. gt. I.
M. pro attractione frequenti in nares. Vertex quoque paucis guttis probe fricetur.

Tandem aluum purgaturus, clysmum ex hydrogala & ſale culinari confeſtim adplicari iubebam.

Vnde feces deponebantur, uires creſcebant, lenis mador perſeuerabat, urina cito album ſedimentum dabat, febris ſenſim minuebatur, omniaque eo conſpirabant, ut dicto remediorum pondere ad morbi uiceſimum primum diem usque in uſum uocato, grata ſanitas rediret.

Ceterum I. uenae ſectio, utpote ſuperflua exſiſtens, nullum huic morbo commodum adtulerat, praecipue quum dyſorexia, capitis dolor conſenſualis, ex ſtomacho oriundus, atque hinc pen-

dens peruigilium, & febris typus periodicus, aliorſum conſpirarent. 2. Quam facile morbus, natura ſua mitis, ac facile domandus, incongruorum oblatione medicaminum, irritari, atque in peius ruere poſſit, hoc etiam exemplum doceat, cui intempeſtiuus amarorum, calidorum & aromaticorum uſus ſtomachicorum, ad febrim, eiusque praecipua ſymptomata augenda inſeruierat. 3. Prouida motuum dierumque criticorum obſeruatio ut morbi finem adcelerat, ſic infelix eorumdem neglectus efficit, ut diutius non protrahatur ſolum, ſed ſaepenumero quoque in uitae periculum praecipitet aegrotantem. 4. Lenes ac particulares conuulſiones optume clysmis pariter, ac nitroſis & refrigerantibus, ſublata eo ipſo ſimul morbi cauſſa, fugae dantur, quae poſt calidorum ac ſpirituoſorum exhibitionem fortius agitare corpus, magisque, quam antea, conuellere ſolent.

OB-

OBSERVATIO XVII.

FEBRIS PERIODICA, TERTIANA, DVPLEX, CVM CHOLERA HVMIDA, EX EPIDEMIARVM GENERE.

Iudaea 1735. *d.* 30. *Septembr.* febri intermittente, tertiana, bis terue uexabatur. Cholericoſanguineam, ſatisque laborioſam, ac annos circiter 40. natam, ſcire licet. Circa finem cuiuſcumque paroxyſmi uehementer uomebat, & purgabatur. Quod ſymptoma debellatura, ſudoremque prouocatura, tres theriacae Andromachi drachmas auide ingurgitabat. Aſt quamuis uomitus ac diarrhoea hinc ſedarentur, ſine ullo tamen ſudore in lecto iacebat, ut calor potius ingens, ac interna exurens uiſcera, cum pulſu celerrimo, ac praecordiorum ſummis anguſtiis, debilique & anheloſa reſpiratione ſuccederent. In hoc rerum ſtatu de ſalute deſperans, intra bihorium libras octo aquae frigidae ebibebat. Tum in agone quaſi ultra quadrihorium permanebat, quo finito, copioſiſſimus prono flumine ſudor erumpebat.

D. 3. *Octobr.* licet tertiana, duplex, remittens, attamen lenis, hucusque continuaſſet, iter faciebat. Caelum ſerenum, frigidum, uentoſum erat.

Veſperi redux, praeuia duplici, hoc die, ira, adceſſionem febrilem multo grauiorem, cum aeſtu, capitis dolore, ac frontis ſudore, aluoque flui-

fluida, & raro ac matutino uomitu, experiebatur. Quae, paullatim auctis ſymptomatis, *ad diem usque* 8. *Octobr.* quum perduraſſent, a pharmacopoeo praeſcriptum purgans ſumebat. Sed tanta diarrhoea & uomitus fere continuus ſequebantur, ut me adcerſendum decerneret. Inueniebam aegrotam debilem, peruigilio, anorexia, ſapore fetido, doloribus abdominis lancinantibus, anxietate magna praecordiorum, profunda & laborioſa reſpiratione &c. onuſtam. Pulſus durus, paruus, celer, aequalis erat; in facie ſudor, in reliquo corpore ardor ſiccus adparebat. Ex his, ac ſeorſim e phaenomenis in pectore, macularum purpurearum futuram eruptionem, niſi cita liberaque perſpiratio prouocaretur, coniiciebam. Igitur huic eliciendae, & aeſtui urgenti minuendo operam daturus, haec ſuadebam;

Rec. Eſſ. Alex. Stahl. unc. ſem.
ſpir. C. C. dr. un.
M. d. omni trihorio e uehiculo aquoſo 30. gutt.

Rec. aqu. foenic.
lil. conuall. rec. ana unc. II.
acet. prophyl. Sylu. unc. I.
ſucc. citr. unc. ſem.
M. edulc. cum ſacch. alb. q. ſ. D. cochleare unum quacumque hora.

Hora 5. *pomeridiana*, aegrota, potionem modo praeſcriptam utpote nimis dulcem redditam, faſtidiens, omnia adhuc euomebat.

Rec. Succ. citr. unc. II.
ſal. abſinth. ſcrup. ii.
M. ſumat quauis ſemihora cochleare dimidium, donec uomitiones deſinant.

Ceterum hac ueſpera febrilis exacerbatio cum noua cutis horripilatione & fugaci frigore incipiebat.

Hora 9. ueſpertina uomitus idem; eadem diarrhoea; calor iterum ſiccus; inquietudo ſumma, qua corpus mirum in modum defatigabatur. Unicam tantummodo miſturae antemeticae doſin ſumſerat, poſt haec auerſata, omnibus uiribus renuebat. Immorigerae cedendum itaque paulisper erat, quae importune opiatum ad cholerae impetum ſedandum efflagitabat. Hoc ergo

Rec. Laud. liquid. Sydenh. dr. I.
Capiat omni bihorio aut trihorio, reciproce cum eſſentia ſupra ſcripta, XV. guttas.

Mane, die 9. Octobr., uomitus & purgatio prorſus deſierant; aegrota ſaepius obdormiſcebat; ob laſſitudinem a cholera dorſo incumbere cogebatur; pulſus debilis, modice celer, ac molliuſculus; calor mediocris, ſiccus; magnus in facie pruritus; Urinam triduo non dimiſerat, quo ſcilicet tempore cholerae redierant dolores. Alternis horis ut eſſentiam & potionem de die 8. Octobr. repeteret, ipſi iniungebam.

Hac potione quidem nunc ſine nauſea exhauſta, febrilia ſymptomata multo mitiora euadebant. Al-

uus, ſepoſitis Laudani Sydenhamiani reliquiis, bis hoc die aperiebatur.

D. 10. *Octobr.* omnia bona; aegra bene perſpirabat; lotium ſedimentum album deponebat; aluus ſemel reſpondebat; anxietates in praecordiis, nec non reſpiratio liberae fiebant.

An igitur purpura ideo non adparuit in cute, quoniam, acrimonia in primis potiſſimum viis adhuc latente, ſubſequutus, ex morbi indole uomitus & diarrhoea multum materiae crudae ſepoſuerant, quae alias ſanguini inmixta, moleculis ſuis ſalinis, acribus, maiorem cauſſam futurae purpurae, aliiue exanthematum generi praebuiſſent? & ſane conſeruato iugi lenis ſudoris fluxu, omnia e corpore protrudebantur, quae paruulas haſce inflammationes ad corporis ſuperficiem propellere potuerant. Quibus tandem adcedebat, quod aegrota *d.* 11. *& ſeqq. Octobr.* ſat largum menſium fluxum experiretur, unde humorum circulus, uitali ſuo robore recuperato, libere per uaſa circumagi, fluereque eruor & refluere iam poterat; hinc tam cordis pectoriſque oppreſſiones, ac faciei pruritus, quam reliqua febris ſymptomata, in fugam coniiciebantur.

Ceterum pauca haec notari merentur:

1. In quibusdam, ab epidemia hac tentatis, duos tresue, ad ſummum, intermittentis paroxiſmos praegreſſos, antequam continuae remittentis faciem adquireret, haut aliter ac in permultis aliis febribus uarii Medici, ac inter eos de febre ſoporoſa Illuſtris Werlhofius (*a*), memoriae prodiderunt. 2.

(*a*) *Obſeruat. de febribus, ſect.* 1.

2. Male, quid? quod magno ſaepius cum aegrotorum uitae periculo, ad uomitus, ſeceſſusque aluinos ſiſtendos, theriaca Andromachi, principio harum febrium, in uſum uocatur, cuius quippe ui anodyna & calida, ſanguinis circuitus magnopere adceleratur, impuritates ex inteſtinorum canali erepti, ac ad cor deducti, cum uitali miſcentur cruore, atque priſtina infirmitate adaucta, noua, ſuperuenientibus peregrinis ſymptomatis, morbo facies conciliatur, ipſis ſaepenumero aegris ad orcum ablegatis. Quo ipſo experimento infelici noſtra totum morbi decurſum immutans, in apertum uitae periculum incurrebat.

Sed quam prouida 3. natura eſt! Vt tanti ardoris interni moleſtiſſimum ſenſum demulceret, ſitimque nouiter obortam exſtingueret, hauſto frigidae largo flumine, medicinae inſcia aegrota, & aeſtum temperabat, & ſanguinem diluebat, & ſudore prolecto, impuritates foras expellebat.

4. Non dediſſem Laudanum liquidum Sydenhamianum, niſi tum temporis diarrhoea ex meris conatibus irritis, & pauco, limpido, acri ſero conſtitiſſet: quam ob cauſſam aegrotantis taedium in miſturam antemeticam Riuerianam eludere facile poteram: ſubiunctis enim refrigerantibus ac temperatis diaphoreticis laudani uis calefaciens confeſtim infringebatur, ſeceſſionibus aluinis interim conſeruatis.

OB-

OBSERVATIO XVIII.

FEBRIS CONTINVA, ARDENS, TERTIANA, DVPLEX, EX EPIDEMIARVM GENERE, CVM CHOLERA HVMIDA, PERVICACI CEPHALALGIA, &c.

Ab uxore uiri cuiusdam plurimum reuerendi, in uico aliquo, milliare unum a ciuitate noſtra diſtante, parochi, 36. circiter annorum, ſanguineo cholerici, & obeſi, ac ſpongioſi, cui febris remittens quotannis, nec non uiſus quaedam hebetudo, familiares erant, *d.* 26. *Septembr. A.* 1735., aëre eiusdem, qualis *obſ. XVI.* & *XVII.* deſcripta, indole exiſtente, litteras adcipiebam, quibus haec illa fere:

Mariti mei, praeuia *d.* 18. *huius menſis* uehementi ira, diebus proxumis adeo debilitata ſanitas fuit, ut confeſtim febri corriperetur, quae mox quidem, uenae ſectionis in pede inſtitutae, auxilio profligata eſt, at *d.* 23. *Septembr. poſt meridiem* ingentem ille in horrorem, *octaua ueſpertina* ab aeſtu feruido exceptum, rurſus incidit. *Altero mane* febrilis remiſit adceſſus, nouum tamen, ſuis horis adauctum, curſum repetens, ſinguiis tantum matutinis horis pauliſper inminutus eſt. Maxumum illum aeſtum leuis quidem mador particularis non numquam comitatur, qui mox tamen retrogradus fit. Peruigilem quoque uomitus frequentes, ac ſingulis repetitum horis alui profluuium ſumme debilem

lem reddunt. Sapor in ore amarus, ueluti putridus, rancidus. Vrina pellucida, ſaturate crocea. Sed grauiſſimum, praeſertim inſignis dolor capitis, quo circa futuram coronalem torquetur, ſymptoma uiſum eſt. Cunctas exacerbationes febriles ea, quam *nocte a* 24. *ad* 25. *Septembr.* ſenſit, ſicciſſimo ſuo ardore multis paraſangis ſuperauit. Principio morbi nimium aſelli recentis maioris *(a)* cocti comedens, malum forſan adcelerauit. Potus ipſi cereuiſia tenuis eſt. Haec illa. Pulſum licet non adnotaſſet, e reliquis tamen ſymptomatibus coniici facile poterat.

Ante omnia uomitum ſedandum, ut reliqua medicaminum genera retineret, arbitrabar. Quem in finem ſaepius commemoratam miſturam Riuerianam in uſum uocabam:

Rec. ſucc. citr. unc. II.
ſal. abſinth. ſcrup. II.
M. D. peracta efferueſcentia ad uitrum; capiat ſingulis horis cochleare.

Rec. Pluuiae.
aqu. lil. conuall. rec. ana unc. III.
cinam. S. V.
acet. prophyl. Sylu. ana unc. I.
Lap. cancror. citr.
Succin. alb. ppt.

nitr.

(a) Gadus dorſo tripterygio, ore cirrato, cauda aequali fere cum radio primo ſpinoſo. LINN. *ap.* ARTED. *Ichthyol. P. IV. Synonym. ſpec.* 6. *pag. m.* 35.

nitr. papauerin. ana ſcr. iv.
M. edulcor. c. ſacch. alb. qu. S., D. alternis cum priori horis cochleare 1.

Quoties uero ultimam hanc aegrotus potionem ſumebat, toties cholera humida exaſperabatur. Itaque hanc ad tempus ſeponens, ſolum antemeticum adhibebat.

Sed *nocte ſequenti* ſuperueniens *quarta exacerbatio* reliquas omnes ſymptomatum uehementia multum antecellebat, proſtratis prorſus uiribus, ſupinus iacebat, ac plus uice ſimplici, animi deliquiis corripiebatur. Qua de cauſſa me adcerſendum media nocte curabat.

Hora igitur 4. *matutina d.* 27. *Septembr.* conclaue aegrotantis intrans, enarrata praeter phaenomena tantum capitis dolorem, tamque celerem & ſalientem arteriae carotidis externae pulſum, cum uultus rubore, ac ſtillantibus inuoluntariis lacrumis, offendebam, ut phrenitidem, aliosue grauiores capitis adfectus, metuerem.

Nihil autem, niſi hanc miſturam mecum adportaueram, nouiſſimo nuntio prae terrore certi quid de praeſenti morbi indole exponere neſcio.

Rec. miſt. ſimpl. dr. II.
ſpir. nitr. dulc. dr. 1.
laud. liqu. Sydenh. ſcr. 1.
M. D. omni bihorio 30. guttae e uehiculo aqueo.

Limonadam aquoſam calidam pro potu ordinario confici iubebam:

Hora

Hora 7. *antemerid.* aegrotus aequali madore, cum cephalalgiae & febris ipſius remiſſione, gaudebat, quod quia *quarti* ſine *adceſſus* euenerat, ſpem futurae ſalutis mihi pollicebatur. Lotium idem, quale d. 26. Sept., relinquens breui temporis interuallo ſedimentum albidum, puluerulentum, in fundo, cuius tamen particulae ſuperiores, medium uitri occupantes, groſſiores, furfuraceae, paſſim quaſi ſuſpenſae haerebant.

Elapſa fere *hora*, quum ego domum reuerti uellem, leuem in ſomnum incidebat. Redux haec mittebam:

Rec. ſucc. citr. unc. IV.
ſal. abſinth. ſcr. IV.
M. D. quauis ſemihora dimidium cochleare, quamdiu uomitus durat, quodſi ſub ingreſſu proxumae adceſſionis forſan renouetur,
Reiteret. in eumdem uſum eſſentia, nouiſſima nocte praeſcripta.

Rec. eſſ. alexiph. Stahl. unc. ſem.
ſpir. C. C. dr. I.
M. D. reciproce cum proxume antecedenti ſingulis bihoriis, gutt. 30. ad 40. in remiſſione febrili.

Ceterum integra hacce die leni ſudore madebat, qui etiam, leui interdum ſomno intercurrente, ad *horam* usque 9. *antemeridianam d.* 28. *Septembr.* perdurans, aegrotum egregie reficiebat.

Sed

Sed eodem fere tempore noua, quamuis haut ita uehemens, adceſſio adpropinquans, *hora* 7. *ueſpertina* ſudorem ſibi comitem adſciſcebat, quem refocillans ſuauisque ſomnus ſequebatur.

D. 29. *Septembr.*, *morbi ſexto*, *circa meridiem* noua exacerbatio. Intermiſto licet ſparſim madore cutaneo, aeſtus tamen praecedente aliquantum grauior deprehendebatur. Qui, copioſa narium haemorrhagia ſtipatus, ex praeuia quidem corporis ante νυχθήμερον facta refrigeratione ortum trahere, aut magnam profecto partem adauctus uidebatur. Remedia priora, eſſ. ſcilicet nocturnam, omiſſo tamen laudano liquido, eſſ. ueſpertinam d. d. Sept., neque minus limonadam continuabat.

D. 3. *Octobr.* haec ſcribebantur: uires aegroti augentur; alterna adceſſio grauior paullo adparet; quouis tempore matutino aeſtus febrilis remittit, quem ſomnus dulcis excipit; aluus bene aperta, lotium integre ſuum ſedimentum dimittit, & adpetitus reuerti uidetur. Medelae huc usque adhibitae repetitionem commendabam.

D. 6. *Octobr.* ipſe litteris haec mandarat aegrotans: Verum tuum auxilium hactenus expertus ſum. De ſubitanea mea reſtitutione mihi gratulor, tibique me profiteor obſtrictum. Ceterum ut in conſiliis adhuc tuis pergas, eſt, quod humaniter enixeque rogo. Quotidie namque haut mediocri capitis dolore, cuius periodus ab hor. 3. pomerid. ad nonam ueſpertinam excurrit, adficior. Ea quoque occipitis grauitas eſt, ut libram plumbi, quam ibi haerere fere opinarer, retrorſum me totum reflectere trahereque ad terram mihi

hi

hi uidear. Adpetitu quamuis creſcente, alternis tamen noctibus inquietudo maior eſt. Eſt praeter ea lotium adhuc rubicundum, quod, horas aliquot ſtans, in fundo moleculas craſſiores praecipites dat. Nihil uero, quo plus angi poſſim, quam inmodica debilitas eſt, qualem poſt ullas alias continuas febres me numquam ſenſiſſe memini. Vix expergiſcor, quum teter iam in ore ſapor, neque minus os pariter, ac naſus, cruore onuſta, me uexant.

Rec. eſſ. gent. rubr.
alexiph. Stahl.
tinct. uitriol. mart. tartariſ. Ludou. ana dr. II.
liqu. diur. Schroed. dr. I.
M. D. ter in die 50. guttae.

Rec. Ferment. pan. acr. q. ſ.
ſem. ſinap. ſcr. II.
pulu. cantharid. dr. ſem.
M. f. c. oxym. ſcillit. q. ſ. ueſicans, nuchae adplicandum, cuius uulnus foliorum ope calidorum braſſicae, butyro illitorum, apertum ſeruandum, donec fluere ſerum ſponte deſinat.

D. 9. Octobr. per nuntium certior reddebar, aegrotum ueſicans noluiſſe; cephalalgiam augeri; febrim lentam quotidianam percipi, quamuis obſcure; hanc autem media nocte cum leni madore

terminatam, ſomnum duarum triumue horarum poſt ſe relinquere; urinam aegroti, ante dimidium horae miſſam, colorem recentis, nec ſatis fermentatae cereuiſiae adquirere; debilitatem eodem ualore continuare; adpetitum tamen manere: quibus tandem uehemens aegroti de laxante deſiderium, cuius adiumento ſaepius perfecte ſe reſtitutum uidiſſet, iungebatur.

Circumſtantiis igitur hiſce probo animo uolutis, aegrotum reprehendebam, quod ueſicantis adplicationem omiſerat, ac proinde dolorum in capite &c. augmento occaſionem dederat. Neque tamen reliquum morbi ſtatum adcurate expoſitum credebam; quum ſponte liqueret, alios inſuper errores diaeteticos lentae febris periodis anſam dediſſe. Auide tamen laxans efflagitanti adnuere decernebam, ut poſt haec eo diligentius remediis, a me ipſi ſuaſis, morem gereret, nec ſuis amplius conſiliis fidem temerariam tribueret. Haſce igitur pilulas praeſcribebam:

Rec. maſſ. pil. polychr.
extr. panchym. Croll. ana ſcr. ſem.
ol. uitriol. gt. II.
M. f. pil. num. xv., conſperg. pulu. lycopod. D. dimidia portio hac ueſpera. Quodſi uero haec aluum, craſtina luce, minus ſoluat, reliqua pars ſequenti ueſpera porrigatur.

Rec. pulu. cort. aurant. unc. I.
ſyr. acetoſ. citr. qu. ſufficit,

ut

ut f. electuar. molle, D. omni hora 2. parua cochlearia, ad ſuperſtites motus febriles fugae dandos.

D. 14. *Octobr.*, omiſſa uberiori ſymptomatum relatione, ab aegrotante ueſicatorium denuo deſiderabatur, quod ſupra praeſcripto modo uſurpandum mittebam.

D. 17. *Octobr.* ſcribebatur, impoſitum poſt ueſicatorium capitis dolores fere euanuiſſe, iam uero, illius uulnusculo debito citius coalito, priorem ſaeuitatis gradum recuperaſſe; febrim, d. 9. Octobr. memoratam, occidente ſole, cum exiguo pedum frigore initium capere, neque, niſi hora 5. matut. alterius diei, mediante ſomno, remittere; adpetitum fere omnem rurſus deeſſe; urinam quoque rubram, ſedimentum ſubrubrum, & hinc inde in uitro diſperſum, deponere.

Praeter ea uero, audita nuncii relatione, qui, d. 7. Octobr. ira ipſum denuo grauiter excanduiſſe, aërisque uentoſi ac pluuii iniuriis ſeſe expoſuiſſe, perhibebat, humano amicoque calamo ab aegroto petebam, ut in poſterum cautius mercaretur, mihique ſoli curam morbi demandaret, nec e quibuscumque leuibus cauſſis ira adcenſus, breuem morbo terminum, eumque funeſtum forte, poneret. Efficax itaque remedium origini recrudeſcentis mali oppoſiturus, & irregularis atque uagae reliquias febris e medio ſublaturus, ad corticem, tamquam ſacram confugere anchoram, conſultum ducebam.

Rec. cort. Peruu. opt. unc .II.
f. c. ſ. q. ſyr. cort. aurant. & ſyr. acetoſ. citr. ana eclegma molle, capiat aeger qualibet uice duo cochlearia parua, ita, ut ſpatio integrae febrilis remisſionis ſemunciam corticis deglutierit.
Bina quoque ueſicantia ſuris denuo admoueantur.

D. 18. *Octobr.* fortiter ſudabat; aluus lubrica erat; cetera eadem, niſi quod aegrum duobus iam diebus dyſuria laboraſſe docebar, cui esſentiam ſuccini, ſingulis trihoriis ad 30. guttas e commodo uehiculo hauriendam, opponebam. Ceterum linctus, e cortice Peruuiano parati, ac potus in uſu perſiſtebat.

D. 20. *Octobr.* haec uxor: febrilis mariti mei exacerbatio, a 18. ad 19. h. m. diem durans, prioribus mitior aeque ac breuior erat. Conſueta iterum cephalalgia eum excruciante, manibus ſuis quidam adſtans, prout mandaſti, modo a lateribus, nunc ab anteriori ac poſtica parte, reciproca agitatione, caput comprimebat, quo artificio dolores optume leniebantur. *Hora quoque* 8. *antemerid. d.* 19. *Octobr.* ſudor quatuor horarum promanabat, quem, *circa meridiem fere*, ſomnus leuiusculus, ad *ſeptimam usque ueſpertinam* durans comitabatur. Quod reliquum eſt, abundanti ex ſudore uires haut parum fractas ſentit.

Veſperi noua, horam, & quod excurrit, poſtponens, adcesſio, eaque magis manſueta adpropinquabat. Capitis dolores dimidiam partem imminuti uidebantur. *Hora* 11. *nocturna*, febri iam

de

declinante, ſuauiter dormire incipiebat, neque niſi *hora ſeptima matut. d.* 20. *Octobr.* expergiſcebatur. Iam iterum ſudor ipſi ſumme moleſtus euadit; adpetitu caret; ſitis ſub exacerbatione febris adhuc magna; urina eadem, qualis diebus nouiſſimis.

Nouisſima, quam *hac ueſpera* expertus eſt, adcesſio mitior quidem, nec niſi crebris oſcitationibus ac pandiculationibus incommoda, nullo tamen *ad horam* 3. *usque matut. d.* 21 *Octobr.* ſomno coniuncta, lotium citrinum reddidit, cuius ſedimentum album necdum plenarie ad fundum dimittitur, ſed hinc inde ſparſis ad margines uitri moleculis, oberrat. Iam, haſce me litteras exarante, ſuauiter dormire incipit.

D. 23. *Octobr.* haec eadem: *D.* 21. *Octobr. ueſpera*, maritus meus nil, niſi in nouisſimis meis commemoratas pandiculationes pariter, ac oſcitationes, ab auida adhuc ſiti exceptas, ſenſit, ſomnus uero mediam demum circa noctem auſpicatus rediit.

D. 22. *Oct.* optume dormiuit, febrilis adcesſionis expers.

D. 23. *Octobr.* urina prorſus naturalis, quin immo fere aquea, cuius ſedimentum albidum, copioſum, plurimam partem fundum petit, quibusdam eius moleculis in medio natantibus. Adpetitus quoque creſcit. In uſu chinchinae pergit. Aërem frigidum humidumque uitat. Aluus bene reſpondet. Sudores euaneſcere uidentur. Vulnera ueſicantium iam ſponte exſiccantur. Petit maritus ſtomachicum quoddam, & corroborans.

Deuorauerat iamiam aegrotus corticis uncias duas cum ſemisſe. Quare, nihil huius in remittenti

 ta-

tali febre opus fore, perſpiciens, ſoli conſeruandae perſpirationi, lenique lotii propulſioni ſatisfacturus, hoc coronidis loco porrigebam:

Rec. tinct. ſal. tartar. unc. ſem.
uitriol. mart. tartariſ. Ludou dr. 1.
M. D. hora antemerid. 10., & ueſpertina 6, quadraginta guttae ex hauſtu uini veteris Gallici.

Notentur pauca tandem haec corollaria:

1. Quo magis ſpongioſum eſt corpus, eo facilius, ſuppreſſa perſpiratione, ſanguine uiſcido ac glutinoſo euadente, uarii generis febres oboriri ſueuerunt, quia laxiorum fabrica partium membranoſarum pariter, ac nerueatum facili negotio diſtenditur, ſed reniſu ualido ac lacertoſo, ad reſoluendum cruorem neceſſario, deſtituitur.

2. In huiusmodi corporibus (*num.* 1) inſultus febrilis auctumnales quodam modo praecaueri poſſunt, propinato primum leni laxante, eccoprotico communiter adpellato, cuius ſuaui ſtimulo ſuperfluum ſerum pituitoſum expellitur, ac ſubiuncto corroborante neruino, cuius efficacia primarum fibrae uiarum firmantur, digeſtio ciborum adiuuatur, ſanguis chylo ſano ac agili donatur, circulumque liberiorem atque magis uiuidum uegetumque ſeruat. Cui propoſito exoptatus effectus in noſtro aegroto, tribus 1736. 1737. & 1738. annis, reſpondit, qui a duodecim annis, quolibet auctumno, remittenti continua febri uexatus, adhibitorum ope remediorum, modo expo-

ſito-

ſtorum, ſanus atque incolumis permanſit.

3. In febribus hiſce epidemiis, quibus cholera humida adſociatur, omnia abſorbentia ac terrea cuiuscumque generis magis nocent, quam proſunt: tam enim uomitiones, quam alui fluorem exaſperant, & quamuis ſeorſim uomitus per miſturam Riuerianam, aut quoduis lene opiatum, ſedatus ſit, eumdem tamen curſum, poſt quamlibet abſorbentium doſin, renouant.

4. Sicut uomitus, uel ipſo in adcesſionis principio, arte in fugam coniici poteſt, uel plerumque, remisſionis tempore, ſpontaneo motu, ceſſat: ita binis aut ternis proxumis exacerbationibus facillime reuerti ſolet.

5. Magis conuenit, remediorum ope acidorum ac ſalinorum uomitus compeſcere, & acrem ad inferiora materiem amandare, quam aliud uomitorium exhibere, ut ſurſum ea protrudatur. Licet enim febris haec, omni fere, ſi legitime tractetur, uitae periculo careat, magnos tamen uirium lapſus adſiduum comitem habet, ut adeo incongruum merito ſit, nouas arte uomitiones excitare, corpusque amplius eneruare, quum uiribus utcumque conſeruandis ſtudendum eſſet.

6. Valde proficuum eſt, & utramque tum potus, tum medicaminis uicem abunde ſupplet, e taleolis citri, demtis ſeminibus, ac ſuperfuſa aqua fontana (*a*) feruida, addito ad ſaporis gratiam ſaccharo farinaceo, potionis genus, limonada dictum, conficere, quo corpus optume reficitur, ſan-

(*a*.) Quae heic loci nitroſis plerumque particulis gaudet; ac proinde medicamentoſa exſiſtit.

ſanguis diluitur ac refrigeratur, & palatum egregie fallitur.

7. Cohibita, quinto aut ſexto morbi die, parumper Sanctoriana tranſpiratione, aut alio leui errore, in ſex rebus non naturalibus, nouiter admiſſo, criſis acutarum retardatur, & uel in undecimum, uel quartum ſupra decimum morbi diem differtur. Aegrotum noſtrum tale quid paſſum, ideoque coniecturam meam fundatam fuiſſe, docent relationes d. d. 29. Septembr. & 3. Octobr.

8. Quibus ſanguis in febribus ardentibus e naribus ubertim effluit, bonum: minuit enim narium haemorrhagia cruoris in capite collecti, ac redundantis, motuque inordinato donati copiam, ac proinde liberiorem circulum reſtituens, capitis dolores aufert, ac phrenitidem &c. impedit. Et licet profluuium hocce, noſtra in hiſtoria, die quodam intercalari, ſexto nimirum, antiquis ob ſymptomatum in eo uehementiam tyranni nomine adpellato, contingeret, effectus tamen proſper, illum criticum fuiſſe, teſtatur.

9. Quo uiſcidior in acutis cruor eſt, eo magis aegrotus, tali correptus febre, debilitatur, praeſertim ſi alia, infirmitatem hanc multiplicantia, adcedunt ſymptomata, frequentes puta uomitus, diarrhoeam, acutos partium quarumuis dolores, ſudores copioſos, &c.

10. In corporibus ualde ſpongioſis, multoque ſero donatis, ueſicatoriorum uſus egregie lenit capitis dolores, modo uulnuſcula per aliquot dies aperta ſeruentur.

11. Febribus ſecundariis ſuperuenientibus, lenia

nia laxantia praemitti poſſunt, praecipue quando aegrotans ſero abundat.

12. Saepius corticis aurantiorum uſum in febrium remittentium, lento greſſu corpus emaciantium, periodis fugae dandis experiri licuit. conf. quae de eo in *Commerc. litterar. Norimb. A.* 1736. *hebd. III. n.* 3. *p.* 20. expoſui.

13. Quam certa & indubitata fides in remittentibus, ut intermittentes ſileam, febribus cortici Peruuiano adſcribenda ſit, non haec tantum hiſtoria, ſed complures quoque aliae obſeruationes doceant. Conf. quae in eodem *Commerc. litterar. Anno* 1736. *hebd. III. p.* 19. & 20. enarraui.

OBSERVATIO XIX.

INFLAMMATIO, SCIRRHVS, CANCER, VOLVVLVS, SPHACELVS PORTIONIS INTESTINI COLI, VNA CVM SECTIONE CADAVERIS.

ADoleſcentem, ſedecim circiter annorum, melancholico-cholericum, ſatis uegetum, mercaturae operam nauantem, mittebat herus *menſe Aprili* 1738. ad portum quemdam, unum circiter lapidem a uico, ubi degebat, diſtantem. Erat autem hac pariter die, ac proxume antecedentibus, aër pluuius, uentis W., WSW. & NW.

uehementer agitatus, ac aquoſe frigidus. Durante itinere noſter neque comederat, neque quidquam biberat, excepto hauſtulo uini aduſti gallici. Tantum itaque aberat, ut hocce de potus genere morbum ſibi contrahere ualeret, ut potius, ſi quidquam nocere ipſi potuiſſet, uel morbi iam fomitem in primis uiis, aut cruore latentem, antehac fouerat, uel aëris modo dicti uitio, ac corporis in madidum, uentoſumque frigus expoſitioni, indeque pendenti perſpirationi Sanctorianae ſuppreſſae, deplorandi origo mali adſcribenda eſſet.

Vix enim redux noſter ad ſcribendum ſeſe adcinxerat, quum repente proſiliret, ac de tantis in abdomine cruciatibus conquereretur, ut a continuo clamore ac eiulatu ſeſe cauere nequiret. Inſciis adſtantibus, unde hoſtis adueniret, quibusue mediis e medio tollendus eſſet, de carminatiuis aliisue putatam hanc colicam flatulentam ſedantibus, domeſticis remediis deliberabatur; ſed incaſſum. Poſt horarum quarumdam interuallum uomitus aeque, ac copioſi ſeceſſus alui, uerbo: cholera humida ſuperueniebat. Quidquid etiam poſt haec ab imperitis uario modo tentabatur, id omne malum non intactum ſolum relinquebat, ſed potius exaſperabat, doloribus in abdomine ſimul adauctis.

Triduo igitur, ſine ſpe ſubſequuturae ſalutis, elapſo, mater filium ad uicum, quem ipſa incolebat, atque a priore dimidii milliaris ſpatio ſemotus erat, ſecum abducebat. Heic priſtina ludebatur ſcena, quid? quod maior ab auctis doloribus uociferatio euadebat, ſitis magna adcedebat,

&

& tres globuli, oui anſerini magnitudine, in abdomine nunc prominebant, nunc diſparebant, quorum medius ſub ſcrobiculo cordis & cartilagine Xyphoïde, reliqui duo ab utroque latere in utroque hypochondrio uidebantur.

Ac hi quidem paroxyſmi, licet aeger numquam ſine graui doloris ſenſu uiueret, adeo ſaepe reuertebantur, ut acutisſimus dolor, & uociferationes, & globulorum protruſiones, uix horae ſpatio intra νυχθήμερον deficerent.

Inter haec inteſtina ueluti rugitu quodam ſatis, & ad quinquaginta, & quod excurrit, pasſus ſaepe ſenſibili, obmurmurare, dolor ſenſim inmanior, uomitus ac diarrhoea crebriores fieri, ſpiritus difficulter duci, praecordia grauiter angi, flatus retineri, uultus nunc palleſcere, modo repente genae rubere, uociferationes adeo exacerbari, ut ad mille & plures exaudiri paſſus posſent, adhaec tres, ſitu tranſuerſali, Zonae in abdomine, brachii craſſitie humani, adparere, integrum uirile membrum atque teſticuli introrſum acutisſimis ſub punctionibus trahi, artus frigere, durantibus paroxyſmis, celeriori curſu reuertentibus, incipiebant.

Ac quamuis trium interuallo menſium a uariis uaria praeſcriberentur, omnia tamen medicamina uel inutilia, uel quandoque etiam nociua deprehendebantur, ſolo excepto laudano liquido Sydenhami, cuius ope miſer aegrotus paucas nonnumquam horas uel quietus iacere, uel dormitare poterat, alias perpetuo uexatus peruigilio.

Qualis autem tam ab initio, quam poſt ea febris coniunctae conditio ac decurſus fuerit, propinqui,

horum

horum ſymptomatum ignari, exponere non poterant. *Fine* tamen *Auguſti menſis*, quum ego aegrotantem uiderem, omnia externa membra frigidiuſcula erant, corpus emaciatum, pulſus uelox, paruus, inaequalis, non numquam ſcilicet interruptus, ſitis magna, adeoque febris lenta tabifica, magis interno ſuo aeſtu periculoſa, quam adſtantibus uiſu moleſta. Dolorum ingruente ſumma ſaeuitie, non numquam animi deliquia incurrebat.

Ceterum hiſce perſeuerantibus phaenomenis, aegrotans absque omni medicina, ſolis potulentis ſitim aliquantisper, lenique, ceu dixi, opiato inmanisſimos dolores per uices fraudans, iacebat. Dolore ad extrema uergente, erectum in lecto ſedere, adductoque ad mentum, manuum tibiae adplicatarum ope, genu ſiniſtro, ſitu maxime incuruato, tempus terere ipſum oportebat, ne ſic quidem ab horrendis eiulatibus abſtinere ualens, quamuis tantillum ſolatii ex hoc ſitu ſentiret.

Deiectiones uero aluinae, quae priſtinis morbi temporibus tenues, aquoſae, pituitoſae fuerant, circa *finem menſis Nouembris* colorem pariter, ac indolem ſecum cereuiſiae, quatuor quinqueue ſeptimanarum ſpatio, priori celeritate & quantitate fluentes, induebant. Quae tandem *uerſus finem Januarii* 1739. nigrae, odoreque cadaueroſo praeditae, euadentes, remittente uomitu, dolorumque uehementisſimo niſu, eo miſerum redigebant, ut *d.* 10. *Februarii* ſine ulla conuulſione, aut delirio placide exſpiraret.

Poſt mortem non abdomen ſolum &, pectus; atque

atque cum primis ſub coſtis ſpuriis, liuido colore imbuta confeſtim fuisſe, ſed & rugitus in cauitate abdominis obmurmurantes, multas per horas exaudiri potuisſe, cognati adfirmabant.

Lenibus quibusdam intra biduum obſtaculis e medio ſublatis, a matre *die* 14. *Februarii* nuper mortui ſecandi copia aegre dabatur. Phaenomenorum inquirendorum ipſe auidisſimus eo tendens, corpus totum adhuc flexile, ne minima quidem alicuius membri rigiditate donatum, inueniebam. Oculi plus, quam in compluribus aliis mortuis, intra orbitam abſconditi; reliqua in capitis pariter, ac pectoris ſuperficie naturalia. Abdominis tegumenta externa, ac inter ea cutis e uiridi flaueſcente, liuido colore imbuta. Remota cute, muſculi abdominis atro-caeruleſcentes, plumbei, admodum molles, uieti, in conſpectum ueniebant. Natiuo tamen peritonaeum colore gaudebat, licet a ſubtus iacentibus uiſceribus ualde adtolleretur, uariaeque ſat conſpicuae arteriolae, liuido cruore refertae, ſparſim illud percurrerent.

Quo pariter, ut *Tab. I.* oſtendit, reflexo *a. a.*, nouum ſeſe adſtantium uiſui ſpectaculum offerebat. Ternae uidelicet magnae, admodum a flatibus, aëreque intercluſo inflatae, zonae *b. b. b.*, ſitu transuerſo, totam abdominis cauitatem explere uidebantur, quae copioſiſſimis uaſis ſanguiferis, cancroſo cruore plenis, undique pictae, inteſtini coli tractus, fabrica ſua natiua, ac ligamentis ualidis, lacertoſis, *c. c. c.* adgnoſcebantur.

tur. Quem ad modum autem facile arguere licebat, a tanta modo expoſita coli extenſione, eiusque ſitu praeternaturali ac morboſo, omentum, quod alias, pingui ſuo roſcidoque calore, ſubiacentem inteſtinorum canalem fouere ſolet, ſurſum ſub ſtomacho reuolutum, clam ſe ſubtraxiſſe: ita dicto loco illud poſt ea repertum adhuc iri credebamus. Sed tantum aberat, ut remota pauliſper zona ſuprema, in conſpectum prodiret, ut potius exigua modo uentriculi *d.*, quaſi ſub umbra abſconditi, pars detegeretur. Tandem reliquias aliquas, uentriculo adhaerentes, e tenuiſſima, uixque duas uncias longa membranula, permultis foraminulis pertuſa, conſtantes, omnique ſua pinguedine orbatas, adeoque ipſum fere totum exeſum atque reſolutum, omentum reperiebam. In *e.* paruum inteſtini recti fruſtulum, ſimiliter loco ſuo naturali depulſum, eminus adparebat. Ceterum dislocatis hiſce zonis *b. b.*, tam hepar, naturali colore & indole reliqua gaudens, quam inteſtina tenuia parum inflammata, ac ceteri ductus coli uehementi inflammatione correpti, & ita picti, ac ſi arte Ruyschiana repleti eſſent maſſa ceracea, producebantur.

Diaphragma, ſurſum a colo diſtento expanſum, fornicem adeo conuexum formabat, ut thoracis fere duae tertiae hinc replerentur. En cauſſam difficilis ac breuis ſpiritus, quem aeger ducebat, & erectae illius in lecto ſeſſionis rationem! In ſiniſtra huius concamerationis parte, uerſus dorſum, uacuus, ac coactus in glomerem paruum, uentriculus ſanus iacebat. Splen, & ueſica, ac renes ſani, atque naturaliter collocati. Poſt inteſtino-

ſtinorum tum tenuium, tum coeci aperturam nil, niſi mediocris fluidi quantitas effluebat, quae uirideſcens, tenuis, ſecum inſtar cereuiſiae offendebatur, qualem ſub finem hiſtoriae commemoraui.

Neque coli initium, maxumaue meſenterii portio, quidquam praeternaturale, aut morboſum, praeter uaſcula inflammata, commonſtrabant, exceptis glandulis quibusdam meſenterii duris, ſcirrhoſis. Aſt quam clare ſedes morbi in apricum deducebatur, quum zonam coli infimam adtolleremus! Quo namque itinere haec circa flexuram ſuam ſigmoïdeam in rectum tendit inteſtinum, diſtinctum uoluulum intuebamur, longitudine, reliquaque magnitudine, Tab. II. figura natiua expreſſa. Tota haec moles obſolete purpuraſcens, atro-liuida, craſſiſſima, ſcirrhoſa, cancroſa, gangraenoſa, & infra ſphacelata erat. Cuius quum explanationem citata figura ſiſtat, ad eam lectorem dimitto. Hoc ſaltim haut praetermittendum eſſe arbitror, inter ultimam coli ſani & ſcirrhoſi partem, qua ſcilicet regione uoluulus initium capiebat, repertam intus eſſe maſſam quamdam teretem, parum compreſſam, fereque parallelogrammam, albicantem, mollem, ſolidam, homogeneam, a flatibus ſuperiori parte foraminulis excauatam, digiti humani circiter longitudine pariter, ac craſſitie. Quam omnis expertem odoris per νυχθήμερον in aqua ſubmerſam retinuiſſem, eadem iterum qualitate extrahebam; uix autem horae ſpatio ſpiritui uini Gallico inmer-

merſeram, quum diminutam mole ſua, ac poſt duodecim fere horas plane reſolutam eamdem reperirem. Maſſa haec uoluuli aperturam paruam ita occluſerat, ut nil flatuum fecumue per inferiora emitti poſſet. Si coniecturae locus eſt, conflata illa fuit a pituita inteſtinali, facile heic haerente atque conglutinata, quoniam deorſum per ſcirrhoſam coli portionem exitus praecludebatur, ac presſis & coarctatis a colo tam ciſta fellea, quam ductus cholodochi ingresſu in duodenum, bilis in inteſtina effuſio impediebatur, ut adeo color eius albicans nullum in admirationem abripere posſit. Ceterum colore aeque, ac conſiſtentia ueſiculas piſcium maſculorum ſeminales, quae Plinio lactes audiunt, ſimilitudine masſa haec plane exſcribebat.

In *d. d.* inteſtinum ſphacelatum, exeſum, atque apertum erat, fruſtulis hinc inde abraſis, ſponteque decidentibus. Prolapſus hic uoluuli, duobus ante mortem diebus, paullulum ex ano prominuerat, unde aegrotus, lumbrici alicuius egresſum opinans, digitis facili negotio moleculas quasdam decerpſerat, quo facto reliqua uoluuli portio aliquantiſper introrſum retrogreſſa fuerat, aegro ac adſtantibus de extractorum fetidiſſimorum indole fruſtulorum obſtupeſcentibus. In reliquis uiſceribus nihil morboſi obſeruans, exſecta mole illa cancroſa ac ſphacelata, integumentorum abdominis inciſorum labia filis reſarcienda curabam.

Inter haec uero longitudinaliter adaperta cancroſa coli parte, ut cauum inteſtinale inueſtigarem, ea, quae in figurae *Tab. III.* explicatione

catione relata ſunt, detegebam. Craſſities autem tunicarum coli ſcirrhoſarum a *g.* ad *g.* protendebatur.

Percurrebant cauitatem hanc uaria uaſa ſanguifera tantae amplitudinis, ut pennae craſſitiem anſerinae aequarent. Conſeruo portionem hanc in liquore, ut cuilibet oſtendere illam queam.

Quod reliquum eſt, pauca hinc enata conſectaria proponam, omiſsis pluribus aliis, ut lectoris patientiae parcerem:

1. Poteſt ab occluſis in colo flatibus, quibus ſuppreſſa transſpiratio, & corporis in coelum frigidum, ac humidum, & uentis agitatum, expoſitio, baſin parant, inteſtini cuiusuis, ſaepenumero autem coli inflammatio, &c. oboriri.

2. Irreparabili aegrotorum damno colicus hic dictus dolor, incaute calidis, flatus diſcutientibus, carminatiuis, quid? quod aromaticis, oleoſis, acribus, tractari communiter ſueuit, unde magis adhuc, quam antea factum fuerat, impactis humoribus, ac liberam circulationem, ob lentum propaginum in inteſtinorum canali, ac meſenterio, & reliquo ſyſtemate chylopoeo, uenae portarum progreſſum, renouare impotentibus, noua ſucceſſiue, eaque maior, inflammationum radicibus figendis, anſa ſuppeditatur.

3. Tam mirabilis facies inflammationi huic, per incongrua initio porrecta remedia, conciliari poteſt, ut peritiſſimos poſthaec Medicos, ſiue ſymptomatum ſpectes inueſtigandam originem, ſiue remediorum conſideres exoptandum effectum, fallere queat.

4. Haec modo expoſita perpendenti, & cum iis,

quae inmortalis Boerhaave *aphor. pract.*, *inciſo de inteſtinorum inflammatione* §. 972. *&* 973. acutiſſimo iudicio litteris mandauit, conferenti facile patet, cur idem beatus uir §. 974. mox ſubiecerit: *medicamenta* (ſcirrho ſcilicet iam producto,) *parum ualent*, *quaecumque demum ſint*.

5. In aprico quoque cauſa eſt, cur ileus heic ſequutus non fuerit, morbi ſede in fine coli exſiſtente; quam ob cauſſam facilius illa fluidos ſeceſſus aluinos deorſum promouere, quam ſurſum, occluſa ano, uomitus ſtercoreos excitare ualebat.

6. En uim plexuum neruoſorum inteſtinalium, eorumque cum neruulis cordis ac arteriarum, ab eodem ualido, lateque expanſo pari uago exſurgentium, & innumerabili ramorum diſtributione, atque copia, partes haſce peruadentium, conſenſum, cuius adminiculo ſpaſmi pulſum, ſex propemodum ante mortem menſibus, inaequalem & interruptum efficiebant.

7. Ex eodem etiam neruorum uigore ac elatere explicari poteſt quaeſtio Boerhaaveana *Inſtit. Med.* §. 107. *cur motus periſtalticus in animi deliquio*, *immo a morte*, *quin & inteſtinis*, *a corpore iam ſeparatis*, *aliquamdiu ſupereſt*? Et quem ad modum ueritatem quaeſiti huius adſerti hiſtoria noſtra abunde comprobat, ſic rugitus illi, in colo obmurmurantes, & aliquamdiu poſt mortem adhuc exauditi, eo quoque pertinent.

8. Quo plures glandulas, pluſque muci, quod ad finem praeſertim contingit, inteſtina habent, eo oportunior gignendi ſcirrhi, cancri &c. occaſio naſcitur.

9. Maſſa illa albicans, quae lactes piſcium maſcu-

ſculorum prae ſe ferebat, ſub uoluuli initio reperta, prius haut conflata fuisſe, quam feces uirideſcentes in nigras ſphacelatas, rupto coli ſphacelo, commutarentur, e phaenomenis, ſine morbi deſcriptis, comprobatur.

10. Nullibi tam difficilis examinatu, ac circumſpecta requiritur morbi indolis ſedisue notitia, quam in uiſceribus abdominis: membrorum namque heic frequentia, uicinitas, multifaria coniunctio, unius in alterum deriuatio, copioſisſimi plexus neruoſi, lentus ſanguinis in uenae portarum ſurculis progresſus, excretionum ineuitabilis heic necesſitas, &c. faciunt, ut malorum ſeries ſe inuicem excipiat, facillimeque diu protrahatur, ac denique omnem ſaepenumero medicinam eludat, quid? quod ſemel ſanata, leuiſſimis de causſis reuerti ſoleat.

11. Optandum, hercle! fuisſet, ut ſapiens quondam Bellini, petito Pittcairniano ſatisfaciens, *MSctum* ſuum *de morbis abdominis* promulgasſet: quis enim morbos capitis pariter, ac pectoris, ut & febrium hiſtoriam diſtinctius illo; planiusue umquam enucleauit, aut quorumcumque ſymptomatum rationem ſignificantius euoluit?

12. In morbo, quem comprehendere uulgus, aut exponere nequit, cuiusque ſymptomata inſolita & minus uſitata conſpiciuntur, perperam ille ad ueneni confeſtim propinatam a maleuolis doſin, aut ludicrum ſagarum quarumdam, pro arbitrio fictarum, artificium ſupernaturale, diaboliue faſcinum, tamquam ſacram anchoram, recurrit, atque ex hoc ſane fundamento complurium aegro-

torum, alias leui opera ſanabilium, curam negligit, quin immo ad abſurdas non numquam medelas, Pontificiorum ſacras reliquias, aquam illorum piacularem, &c. confugit.

FIGURARUM EXPLICATIO.

TAB. I.

Repraeſentat ſitum inteſtini coli praeternaturalem, prout aperto abdominis cauo, remotoque peritonaeo, in oculos incurrebat.

a. a. Reflexae peritonaei, ac muſculorum abdominalium portiones, poſt inciſionem cruciformem.

b. b. b Tres tumidae, a colo formatae zonae transuerſae, reliqua omnia inteſtina & uiſcera abdominis obtegentes.

c. c. c. Vnum e tribus ligamentis muſculoſis colon contrahentibus.

d. Exigua uentriculi, uelut ſub umbra iacentis, pars.

e. Fruſtulum recti, foras paullulum a reliquis inflatis inteſtinis protruſi.

TAB. II.

Portionem coli gangraenoſam ac cancroſam exhibet, in inferiorem eius partem delapſi, ac uoluulum efficientis; magnitudine naturali.

a. a. Eius latus, extrorſum uergens, liberum.

b. b. Eius latus, introrſum meſenterio adfixum, iam, diſrupta meſenterii portione, dilaceratum.

c. c.

c. c. Eius portio ac uoluulus terminus ſuperior.

d. d. Eius portio ac uoluuli terminus inferior, in recti principium hians, a ſphacelo exeſa, aperta.

e. e. e. Glomeres glanduloſi, in ſcirrhum mutati.

f. f. f. Primae finis coli lineae, uoluulum fouentes, ſecundum longitudinem diſſectae, obiter ſculptae, ut unius in alteram portionem ingreſſus uiſui obiiceretur.

Tab. III.

Longitudinaliter diſſectam coli cancroſi ac ſphacelo tacti partem oſtendit, ut ſuperficies interior noſceretur; magnitudine archetypi.

a. a. Portio ſuperior.

b. b. Portio inferior, exeſa a ſphacelo.

c. c. Reflexarum tunicarum coli pars, a cancro libera, nec praeternaturale quid fouens, niſi arteriolas, cruore inflammato ac cancroſo diſtentas.

d. d. d. Lacunae & cryptae, a lacertoſis membranulis nerueis, partimque a iugis coli formatae, glomeribus glanduloſis, cancro &c. adflictis, obicem ponentis.

e. e. Juga coli, admodum inflata & diſpanſa.

f. f. Locus meſenterii exeſi.

g. g. Craſſitiem ſcirrhoſo-cancroſam tunicarum coli monſtrat, quae in toto fere uoluulo aequabiliter extenſa, quoad craſſitiem, erat.

Digitized by Google

OBSERVATIO XX.

FEBRIS REMITTENS TERTIANA DUPLEX, CUM NAUSEA, IN SENE PODAGRICO.

De 5. *Auguſti*, *A.* 1738. ab erudito quodam litteris haec conſcripta adcipiebam: patrem meum ab aliquot iam hebdomadibus de debilitate, grauitate, ac dolore opprimente omnium corporis ſui membrorum conquerentem, *d.* 2. *Auguſti*, *hora* 8. *matutina*, febris corripiebat, uomitu, horrore, ac oſcitatione initium capiens, aeſtu *circa meridiem* demum, una cum inſigni cephalalgia, excepta. Jam antemeridianis cuiusuis diei horis noua ſine ullo frigore exacerbatio ſuperuenit, dolores membrorum priori adhuc indole, iuncta nauſea, continuant, pectus opprimitur, adpetitus deficit, & feces occluſae haerent. Ceterum calor ac ſitis febrilis moderate ſe gerunt.

Quibus addere liceat, aegrotantem noſtrum, ſenem 78. annorum, parochum in uico quodam, unum a nobis lapidem remoto, exiſtere, qui cholerico-ſanguineus, macilentus, magnis iisque protuberantibus uenis gaudebat, ac faepius a doloribus manuum pariter, ac pedum arthriticis uexabatur. Remedia igitur haec mittebam, quorum ope tum aluus reſponderet, tum gluten febrile diſſolueretur, ac corpus in leni perſpiratione conſeruaretur.

Rec.

Rec. Maſſ. pil. polychreſt. ſcrup. I.
f. l. a. pil. num. XII., deuorentur in remiſſione febrili, debito cum regimine.

Rec. Tart. uitriol.
nitr. papauerin. ana ſcrup. II.
ſolu. in pluuiae feruidae unc. I ſem.
add.
expreſſion. millep. ſimpl. Full. unc. I ſem.
tinct. fl. bellid. unc. ſem.
ſyrup. acet. citr.
ribeſ. ana unc. I. uel q. ſ.
M. d. alternis horis cochleare unum.

Rec. eſſ. alex. Stahl. unc. ſem.
capiat alternis horis e uehiculo aquoſo, reciproce cum praecedenti potione, 40. gutt.

D. 12. *Auguſti* haec iterum ille: patre meo potionem, nouisſime a te tranſmiſſam, hauriente, ſymptomata ac febris ex uoto remittebant, illa uero ante triduum conſumta, adcesſiones febriles maiori ſeſe denuo oſtenderunt perſpicuitate. Jam ſitis ac debilitas reuiuiſcunt, urina rubra ſine ſedimento, tanta nauſea, ut a ſomno auocetur, quibus flatus occluſi iunguntur. An igitur ſuſpicio noſtra fundamentum habeat, qui ſtatuimus, aegrotantem a uariis crasſis crudisque cibis, quibus ualde alias delectatur, nauſeam illam &c. percipere, ipſe, ſi placet, uideas. Itaque ad locum

aegroti eodem adhuc die equo uehebar, ut ipſe in morbi phaenomena inquirerem. Quo facto, exceptis modo expoſitis phaenomenis, ſenem ſatis adhuc uiuidum quidem, ſed perpetua nauſea conatibusque uomendi laborantem reperiebam. Pulſus moderate celer, plenus, mollis, aequalis; ſitis magna; ſapor in ore ſalinus ac biliofus, cum albido lentore ad dentium interſtitia; calor febrilis mediocris; tuſſis crebra; excretio tarda pituitae tenacis.

Sequenti mane lene uomitorium inuito inſcioque aegro, qui talia nolebat, propinandum curabam:

Rec. tart. emet. gr. I.
rad. ypecac. ſcrup. I.
ſyr. roſ. ſolut. dr. III.
M. capiat ſummo mane, ſuperbibendo poſt horae quadrantem theae, aut alius cuiusuis conuenientis infuſi congruam copiam.

Finita operatione hac potione uteretur, praecipiebam:

Rec. expreſſ. millep. ſimpl. Full. unc. I ſem.
oxym. ſcill. unc. ſem.
tinct. antim. tartariſ. dr. V.
roſ.
papau. rh. Mynſ. ana dr. III.
Syrup. roſ. ſolut.
ex ſucc. fl p p. rh. ana dr. III. uel q. ſ.
M. hauriat ſingulis horis cochlearis quantitatem.

Tri-

Triduo poſt, *die ſcilicet* 15 *Auguſti*, nullum quidem uomitum ſequutum, quinquies tamen aluum laxam expertum eſſe, nauſeam euanuiſſe, ſomnum rediiſſe, uerbo: morbi reliquias fugae datas eſſe, certior reddebar. Petebatur ſtomachicum quod.

Rec. tinct. antim. tartariſ. dr. III.
elix. uitriol. Mynſ. dr. II.
M. capiat ex hauſtu uini generoſi ſingulis bihoriis 50. guttas.

Elapſo octiduo, publice de ſuggeſto uerba proferebat.

Ergo morbus partim a durorum, nimisque ſolidorum ingeſtione ciborum, partim uero ab aëris ſudi & calidiſſimi, uentis lenibus N.O., O.S.O. & S. perflati, ſubitanea in nubilum, frigidum, nubibus tonitrualibus grauem, pluuium, ac modico uento W. S. W. agitatum, mutatione ortum traxit, unde febris catarrhalis, tusſis, pituitae lentae in uiis ſpiritalibus aeque, ac alimentoſis collectio, nauſea &c. praeuia ſuppreſſa tranſpiratione, in corpore ſene, cui tardus humorum circulus & fibrae rigidae, contingere facile poterat. Et quoniam remedia abhorrebat, interrupto horum uſu, febris ſua natura alias mitis, ultra octiduum.

Ceterum ſingulari fibrarum robore aegrotantem adhuc gauiſum eſſe, inexpectatus uomitorii effectus demonſtrare poteſt, cuius exhibita doſis, ter-

nos quaternoſue alias facili negotio uomitus, binosque ſeceſſus aluinos procreare ſolita, motus inuerſi periſtaltici augendi heic impotens, laxantis tantummodo uices cum euphoria ſubibat.

Cui bigam ſimilium fere caſuum adiuncturus ſum, quorum primus hoc modo ludebatur: Ad aegrotantem ſanguineo-cholericum, ſpongioſa corporis textura donatum, quinquagenarium, nauſea & anorexia uexatum, cuique lenis febricula intermiſta conſpiciebatur, uocabar, ut uomitorium ipſi praeſcriberem. Quod ex *radicis Ypecacuanhae ſcrup.* 1. *ac tartari emetici ſesqui granis* conſtans, ac *pauco ſacchаro albo* gratum redditum, mane propinabatur. Ad alia inter haec negotia diſcurrens, quadrihorio poſt ad priorem aegrotum reuocabar, quem largiſſimo ſudore totum perfuſum ac madidum, omnis uomitus expertem, in lecto reperiebam. Quum ueſperam uerſus uentum eſſet, a cuncta nauſea & reliqua aegritudine inmunis, in hypocauſto obambulabat.

Alter caſus hic eſt: Fabri cuiusdam ſcriniarii uxor macilenta, 36. circiter annorum, melancholico-cholerica, lactans, repentinis colicis doloribus cum paroxyſmo febrili corripiebatur. Cui, primo ueſpere, congrua ad aeſtum febrilem domandum & dolores leniendos medicamina offerens, ſequenti mane, quum aluum biduo clauſam pronunciaret, lene e *maſſae pilularum polychreſtarum drachma dimidia*, ac *caſtorei recentis granis quinque* compoſitum laxans ſubiungebam. Pomeridianis horis febris recurrebat, e remittentium genere, absque nouo frigore & feces adhuc

re-

retinebantur. Clyſmum nolebat. Aſt nocte proxuma, exacerbatio haec tanto ſudore terminabatur, ut in lecto fere diffluerer, ternisque uicibus induſium renouare deberet. Finito critico hoc ſudore, excrementa ſemel deiiciebat, ac integre conualeſcebat.

Videmus hinc, quam inopinato ſaepius medicamentorum uirtutes diuerſa determinentur uia, & quam ſalutare ſit, naturae, quae in ſolidorum pariter, ac fluidorum perennante uiuidaque circumagitatione conſiſtit, operationes exſpectare, ne intempeſtiua remediorum uariatione; aut inconſulta multitudine, nobis ipſis uiam obſeruandi praecludamus, aut aegrotis damnum, auxilii loco, inferamus.

OBSERVATIO XXI.

MVSCA IN AVREM VOLANS.

CUrioſam ſane D.D. Georg. Henr. Behrii obſeruationem (*a*) de *Otalgia inſigni ex uerme*, & quae perilluſtr. noſter Praeſes, Dom. Büchnerus ſuper eam (*b*) commentatus eſt, hiſce diebus perlegens, dolor confeſtim in memoriam recurrebat, quem ego ante triennium a muſca

(*a*) *Act. Nat. Cur. Vol. IV. Obſ.* 29. *pag.* 109. *ſeq.*
(*b*) *l. c. pag.* 110.

muſca, in aurem meam uolante, perceperam. Ac licet nonnullis minutiae tales minus dignae uideri queant, quae memoriae prodantur, neminem tamen ſapientum fugere poſſe, arbitror, quam grauia ſaepe mala a uermibus, in aures ſeſe inſinuantibus, concitata, ac inter haec inflammationes internarum auris partium, ſuppurationes, ſummae otalgiae, tympani eroſiones, nerui acuſtici uellicationes, quid? quod adroſiones &c. oborta ſaepenumero fuerint. Ut adeo eo magis felicem me depraedicem, quo exoptatius ego, & celerius, ab infauſta muſca, uulgaris adminiſtratione ac domeſtici remedii, liberabar.

Quum *menſe Junio A.* 1736. in inſula Wangeroogenſi, ditioni patriae Jeueranae ſubiecta, plantarum ac piſcium marinorum inueſtigandorum cauſſa, per aliquot dies commorarer, crepuſculi tempore colles inter maritimos, *Dünen* uulgô adpellatos, obambulans, inopinato uiui quid in aurem meam dextram uolitare perſentiſcebam. Mox ſuſurrus in aure oboriebatur, ac alatum eſſe inſectum, quod alis ſuis tympanum perpetuo uibrabat, diſtinguebam. Domum inter ea praefecti adcurrens, adeo perturbatus eram, ut neſcirem, an primum de remediorum ibi locorum abſentia, aut de graui meatus auditorii dolore, an uero de moleſtia, ab alarum non ſolum continua uibratione, ſed & murmure muſcae, ſonum, quaſi a campana magna profectum, prae ſe ferente, conquererer. Ab adſtantibus amicis uariis uaria pro remediorum inopia ſuadebantur, ac ſeorſim ut uel ſpiritum uini gallici, uel aquam reginae Hungariae dolenti auri in-

inſtillari ſinerem, urgebant: repulſas autem talibus minus gratis conſiliis, quorum ui inſectum irritatum, ſubtile tympanum laedere poſſet, danti, ſyrupus uulgaris ſacchari nigricans in memoriam incidebat, cuius lento ac ſpiſſo glutine inſecti alae obuoluerentur, cuiusque dulcedine captum, ad quietem forte componeretur. Senſim itaque ad margines meatus auditorii guttas aliquas ſyrupi deuolui iubebam, ut eo aptius ad eſcam muſca adliceretur. Sed tantum aberat, ut huic inmerſa quieta euaderet, ut potius tantus exoriretur ſuſurrus atque clangor, quaſi tormenta bellica exploderentur. Summa hercle! ad dolores ac murmura ſuſtinenda opus erat patientia, quum inclinato praeter ea capite cubandum eſſet, ne ſyrupi quid rurſum effflueret. Elapſo tandem horae quadrante, & quod excurrit, motus, repetita per uices ſyrupi in aurem infuſione, magis lentus reddebatur, donec poſt ſemihorium plane conquieſceret, & triſtis aduerſaque muſca ſupremum obiret diem. Repurganti altero mane aurem, unus inſecti pes, cochleari paruulo adhaerens, in conſpectum ueniebat, quo uiſo, renouato pluries labore, integram per fruſta extrahebam, quam *muſcam*, *uentre anguſto nigro cylindraceo piloſo* deprehendebam.

Latuit itaque in domeſtico hocce remedio maior profecto utilitas, ac ſi uaria acria, quae ab auctoribus commendari uulgo ſueuerunt, decoctum puto abſinthii, colocynthidis, ſolutiones aloëticas, fumum ſulphuris, infundibuli ope ab aure exceptum, olea rancida facta, uel unguentum

Muſi-

MUSITANI (c) ex capi axungia, oleo corylino & pauco mercurio dulci miſtum, aliaue ſexcenta, quibus ſubtilis tympani membrana facillime laedi, & auditus, neruulis nimia irritatione obſtupefactis quaſi & obſtipatis, deprauari poteſt, in meatum auditorium intromiſiſſem.

Quodſi uermis, aut muſca, aut aliud inſectum, tam profunde in aure latet, ut uiſui ſeſe ſubtraxerit, nil melius, uel ſalubrius infunditur, quam uarii ſyrupi, u. gr. ſacchari albus uel nigricans, papaueris albi, de althea, de ſymphyto Fernel. &c., aut oleoſa recentia nondum rancida, oleum amygd. dulc. & amar., lini, oliuarum, butyrum recens non ſalitum tepidum, &c. (d) quae cuncta, quo magis ſpiſſa ſunt, eo melius inuoluunt beſtiolam, motuque priuant. Nec maiori opus uidetur adparatu, quum pleraque ex hiſce medicaminibus ubique terrarum ad manus ſint, ſuaque ſe ſimplicitate ipſa abunde comprobent.

OB-

(c) *Chirurg. theor. pract. tom. 2. cap. 26. pag. mihi* 117. 118.

(d) Conf. illuſtr. D. D. LAUR. HEISTERI *Chirurg. german. cap. 56. pag. m.* 556.

OBSERVATIO XXII.

VARICES IN VTRAQVE TIBIA, ALTERA RVPTA, ALTERA DISCVSSA.

QUemadmodum generalis uaricum ortus in ſola mutatione, & plerumque in adauctione diametri uaſis uenoſi conſiſtit (a), dum adroſa una alteraue horum tunica, uel dilatata tantum, uel penitus rupta, ſanguini nunc maiorem, nunc minorem inibi introitum concedit, ac ſacculum tuberculumue (b) modo ſubgloboſum, modoue pro ſerpentino uenularum minimarum ſanguinea-

(*a*) Pererudite b. perilluſtr. Dom. de BERGER diſſ. *de hæmorrhoidibus*, *ultra modum profuſis*, *&* *caecis*, *theſ.* 18. *pag.* 24. uaricum naturam pariter, ac geneſin exponens, „ non enim aliter, inquit, fiunt tumores illi „ uenarum nodoſi, dicti uarices, quam quod ſanguis, qui per arterias in uenas propulſus, ad cor „ reduci debebat, ibi quodam modo ſubſiſtere cogatur, immo partes uerſus contendat, cui quum ualuulae reſiſtant, ac reluctentur, in ſpatiis intermediis uenarum tunicae dilatantur, ac tumores eiusmodi concipiunt, nodis ueluti diſtinctos, quia uenae juxta ualuulas extendi minus poſſunt, propter „ maiorem ibi a ualuularum exortu & principio oriundam illarum uim & infirmitudinem.

(*b*) Hoc nomine caecas hæmorrhoides definire placuit clariſſ. STENTZELIO, *Medic. Theor. pract. cap.* 3. *aphor.* 138. *p. m.* 62.

nearum reptatu, atque inflexu, uaria figura expanſum ſinum gignit: ita easdem in omni corporis humani uenoſo ambitu formari poſſe, & ſana ratio iudicat, & multiplex experientia confirmat.

Quid complures uariarum partium haemorrhagiæ aliud, quam ruptarum uarices uenarum? Quid uaricoſa illa, inepto certe nomine, hernia uocari ſolita, aliud, quam uarices uenarum ſpermaticarum in teſtibus (c)? Quid caecae haemorrhoïdes aliud, quam uenarum ut plurimum uarices haemorrhoidalium internarum, ſi illas exceperis obſeruationes, in quibus, formato aneurismate uero, arteriolae eaedem dilatatae fuerunt deprehenſae.

Reliquas diuerſarum corporis membrorum uarices, u. gr. quae in uenis, ſive brachii ſiue pedis, poſt multifariam earum inciſionem euenire, aut quae in celluloſo-muſculoſa ſcroti membrana, dartos dicta, fieri commode, b. Fr. Ruyschio (d.) memoriae illud prodente, poteſt, &c. ſilentio breuitatis causſa praetereo, e permultis duas tantum, notatu prae reliquis dignas, ruptas, floridumque cruorem effundentes, paucis recitaturus. Quae eo quoque minus ab inſtituto noſtro abesſe uidentur, quo propio-

(d) Indubiam hanc ueritatem dudum iam inmortalis quondam Fr. Ruyschius *Aduerſar. Anat. Decad.* 2. *Obſ.* 9. *pag.* 21. *ſq.* propoſuit, ſimulque illud compluribus opprobrio medicis duxit, quod inconuenientia morbis nomina imponentes, rem exprimendam in titulo ſilerent.

(d) *l. c. pag.* 22.

priores adfectae, praeſenti in hiſtoria, parti fuere.

Ac primum quidem SENNERTUS (e), ſe ſanguinis e uena, in cruribus ſponte aperta, effuſionem per aliquot dies continuatam, in ſcorbuticis obſeruaſſe, & amicum ipſius, D. D. TIMOTH. VLRICUM (f.), in uidua quadam, puſtulas ſcorbuticas elatas & atras, fabae magnitudinem aequantes, in malis prorupiſſe, merumque & aliquatenus nigrum ac ſeroſum ſanguinem elargitas eſſe, refert. Quid? quod SALOM. ALBERTI (g.) tamquam uulgare in ſcorbuto ſymptoma, extremas uenarum propagines glomeratim obtorqueri, ac in uarices conuerti, recenſet. Alterum idemque curioſum phaenomenon a PANAROLO (h.) relatum legimus, quo ille periodicum ſanguinis profluuium, e uena tibiae uaricoſa, ſtatis temporibus recurrens, ſcriptum reliquit. Et quid multis ueritatem hanc exemplis (i.) corroborare attinet, quum noſtra hiſtoria tam luculentum huius rei teſtimonium exhibeat, quale antea me quidem uidiſſe non memini. Et quo magis ex improuiſo fluxus hic uetulae noſtrae honeſtae, nihil aduerſi ſibi inſtare cogitanti, adcidit, eo plus, ut mente uoluamus,

L quam

(e) *Tract. de ſcorbuto cap. 5. pag. m.* 74. conf. *pag.* 122.

(f) *l. c. pag.* 75.

(g) *Scorbuti hiſtoria*, coniunctim cum Sennerti *l. de ſcorbuto* edita, *pag. m.* 387.

(h) *Obſ.* 4. *P.* 2.

(i) Septenos ulcerum uaricoſorum haut ſpernendos uideſis apud Platerum *Obſeru. l.* 2. *pag. m.* 517. *ſqq.*

Quam mala ſit uita haec, quam plena periclis,
Natura monſtrante,
impellimur.

Tenerioris habitus uidua illa, cuius ſupra (*k.*) iam meminisſe me recordor, quaeque ſcorbuti ſecundo gradu (*l.*) a multis retro annis laborauerat, ita tamen, ut in domo obambulare, ac familiae ſuae praeeſſe posſet, A. 1735. d. 10. Auguſti certiorem me reddebat, ſe ab aliquot iam annis, poſt profluuii muliebris fere ceſſationem, magnam in utroque pede uaſorum ſanguiferorum tumidorum congeriem, ſubinde dolentem, fouiſſe; ac dextro quidem in pede uarices haſce paullo ſupra externum malleolum prominuiſſe, illas uero ſiniſtri pedis circa malleolum internum ſeſe prodidiſſe. Ac licet haut adeo magnum hinc incommodum hactenus ſenſerit, inopinato tamen uaricoſos hos dextrae tibiae nodos anfractuoſos ſponte, quum ſola in conclaui ſederet, disruptos, tantum cruoris effudisſe, adiungebat, ut fere exanimis in terram concidisſet, ibique forſan animam efflasſet, niſi ſecunda fortuna filiorum unus conclaue intrans, in lectum ipſam deportasſet, fruſtraque tentatis omnibus domeſticis remediis, lintei tandem adcenſi, ac ſubito, flamma euaneſcente, exſtincti impoſitione, impetuoſam hanc, iugi nec interrupto curſu, pennae columbinae crasſitie, effluentis, adeoque uenoſi haemorrhagiam ſanguinis ſuppresſiſſet. Iam apertam uaricem

(*k*) *Obſeruat.* 15.
(*l*) Boerhaave *Aphoriſm. pract.* §. 1151. *n.* 2.

cem uehementer dolere, circuloque rubro ardente, ac acutis punctionibus infenſo, circumdatam, ſcribebat, atque tandem, ut pedi utrique congrua medela ſuccurrerem, deſiderabat.

Rec. herb. plantag.
fiſtular. ana manip. II.
fl. uerbaſc.
roſ. r.
balauſt.
cort. granat.
bacc. myrtill. ana unc. ſemi.
ſem. lin. unc. III.
Inc. cont. gr. m., decoqu. ſpecierum manip. 2. cum libr. 2. aquae pluuial., inting. decocto calido linteum quadruplex, exprimatur fortiter, ac dolenti uulneri uaricoſo imponatur, huic pannum duplicem, hirſutum, decocto intinctum, ac bene expreſſum, calide ſuperimponendo. Repetatur deligatio, quoties frigeſcere inceperit.

Rec. alum. puluerif. dr. II.
decoct. fl. roſ. r. unc. I.
M. f. c. tereb. uenet. & cer. q. ſ. l. a. ungt., quo alter pes uaricoſus bis in die illinatur.

D. 13. *Auguſt*., nouiſſimis in litteris uaricoſi uulneris ſuppurationem factam ſe nondum commemoraſſe, filius ſignificabat. Quibus auditis, mutata paulisper indicatione, fomenti loco, quod

 liti-

linteaminum ope, aperturae uulneris adplicatum fuerat hoc linimentum, cuius efficacia enati dolores lenirentur, inflammatio uicinarum partium diſſiparetur, corrugataeque uaſculorum tunicae ac faſciculi neruoſi relaxarentur, mittebam, priorem fotum ſoli exteriori impoſitioni reſeruans.

Rec. ol. lin. rec. ſ. ign. unc. I. ſem.
chamaem. coct. dr. VI.
M. D., adhibeatur balſami inſtar uulnerarii, calide uulneri cum duplici linteo imponendi.

Proſtrato quoque adpetitu, mitem febriculam inflammatoriam adceſſiſſe, ferebatur, remedia tamen huic apta nondum expoſcebantur.

D. 18. *Auguſt.* filius haec me docebat: aeſtus magnus, internus, continuus, intolerabilem in matre ſitim excitat; in uulnere dolores intenſiſſimi, lancinantes; certis praeſertim interuallis atrociores, ligamentum tarſi transuerſum ſubitaneis ictibus percurrentes; metatarſus paullulum tumere uiſus eſt. Apertum clauſumne nunc dicam uulnus, fere neſcio; in eius tamen centro fruſtulum fuſci coloris adparet, e cuius marginibus nil, niſi aquae limpidae parca copia effluit. Interno aeſtui largiorem ſeri lactis acidi potum, noſtrae alias familiarem, opponens, doloribus mitigandis, ac gangraenae praecauendae hoc deſtinabam:

Rec. eſſ. cort. Peruu. ſaturat. unc. I.
laud. liqu. Sydenh. dr. I.
M. D. ter in die 60. gutt., ex hauſtu oenopegii.

Ex-

Externe hoc:

Rec. eſſ. myrrh. / ſuccin. ſ. alkal. ana unc. I.

M., qua leniter calefacta plumaceolus madefiat, uulneri admouendus: repetatur hoc ter quotidie.

D. 21. *Auguſt.* relatum legebam, dolores paullo ſopitos, ſi deligationis tempus exceperis, uideri; nuper memoratos in tarſo ictus acutos euanuiſſe; uulnus exactam nondum ſubire ſuppurationem, nec niſi paucas parum ſpiſſioris, quam antea, limphae guttas extracto plumaceolo adhaerere; aeſtum internum maxumam partem abiiſſe; fuſcum in uulnere locum flaueſcere. Suadebam priorum internorum repetitionem remediorum. At quod externa adtinet, ſuperius me narraſſe memini, plumaceolum guttis balſamicis irroratum, uulneri impoſitum (*uid. d.* 18. *Aug.*) parteſque diſruptis uaricibus uicinas oleo uulnerario illitas fuiſſe (*uid. d.*, 13. *Aug.*), quibus iam hocce cataplasma addendum curabam:

Rec. Farin. ſecal. unc. II.
Gumm. Sagapen., in uitell. oui ſolut. unc. ſem.
acet. acerrim. dr. I.

Ebulliant inuicem cum aqu. ſ. ea quantitate, ut f. catapl., demum add: ol. lil. alb. unc. ſem. M. D. ad fictile; adplicetur ſingulis bihoriis calide reliquas ſupra deligationes.

D. 27. *Auguſti*, aeſtu interno febrili nondum prorſus exſtincto, hoc dabam;

> Rec. Tamarind. unc. II.
> D. coqu. pars dimidia cum libr. 4. aqu. ſimpl., quo de potus loco ordinarii bibat.

Vulneri uero hac ratione ſuccurrebam, ut plumaceolis imbutum huncce balſamum uulnerarium ſuaderem:

> Rec. Ol. hyperic. unc. II.
> balſ. peruu. drachm. II.
> Camph. in ſpir. uin. rectificatiſſ. ſolut. dr. I.
> M. adplicetur calide, ſuperimponendo cataplaſma de die 21 Auguſti.

D. 3. *Septembr*. referebatur, uulnus ampliorem aperturam eſſe nactum, membranulas quasdam, partem uenae uaricoſae, paruosque neruoſos ramulos ſuapte ſponte ſeparari, quae fuſcam ſupra recenſitam maculam in uulnere effecerant; dolores multum remiſiſſe in tarſo ac malleolis uulnerati pedis; uulnus omni νυχθημέρῳ ſemel deligari; urinam uehementer ardere, illamque emiſſam cum pudendis inſignem ardoris ſenſum communicaſſe; calorem internum fugacem offendi, atque nunc accedere, modoque rurſum dispelli; tibiam eo in ſitu continere ſemper aegrotantem oportere, ut ex-

Digitized by Google

externus malleolus, quo in loco uulnus exiſtebat, deorſum iaceret, ſtragulumque inferius reſpiceret, quo ſpontaneus atque liberior puri exitus concederetur; hoc album, craſſum, optumum, mediocri quantitate effluere.

Quibus rite perpenſis, ad uulneris ulteriorem curam oleum d. d. 13. Auguſti, ac balſam. uulnerar. d. d. 27. Auguſti, omisſo iam cataplasmate, adhibebam.

Partium uero genitalium feruori hocce occurrebam:

Rec. Ol. hyperic. unc. II.
camph. dr. I.
M. adplicetur locis ardentibus.

Interne pulueres hosce temperantes, aeſtumque mitigantes ordinabam:

Rec. Lap. cancr. citr. gr. XII.
ſuccin. alb. ppt.
nitr. papauerin. ana gr. VI.
Camph. gr. III.
M. detur in ſextuplo, ſumat mane, pomeridiana hora 3., & ueſpere, ex oxygalae hauſtu, unum.

D. 27. *Septembris* pro altero pede uaricoſo remedium expoſcebatur, ad praecauendam harum rupturam.

Rec. Rad torment. pulu. unc. ſem.
Ol. laur. expr. unc. IV.
M. adplicetur uarici pedis ſani, qui faſciis inſuper, ac machinulis aptis comprimentibus, ſecundum artem deligetur.

D. 9. *Octobris* nunciabatur, uulneri cicatricem iam ſuperinductam eſſe, ſed ualde inaequalem, ac dolentem; ceterum ſanatam ſe putare aegrotantem.

Rec. Ungt. de alth. compoſ.
baſil.
popul. ana dr. III.
M. adplicetur ſaepius ad emolliendam, magisque aequabilem reddendam cicatricem.

Quod etiam eo agebatur ſucceſſu, ut paucis diebus elapſis, aegra ubique obambulare poſſet, ac uulnus bene clauſum permaneret.

Notaſſe tamen refert, ad alterum pedem, in quo uarices nondum ruptae erant, remedia, in ſuperioribus, ac praecipue d. 27. Septembris deſcripta, per aliquod temporis interuallum adhuc continuata eſse. Quo facto, multi uenarum plexus reticulares oculis euaneſcebant, ac reliqua ita inminuebantur, ut dolores ceſſarent, nec uulnus adeo facile metuendum foret. Ac abſoluto quidem integro fere quadriennio, dum haec ſcribo, nihil in eo, quo ruptae fuerant uarices, pede incommodi percepit, in altero autem tibiae malleolo, ſingulis ſemeſtribus pene ſpatiis, uarices denuo incrementum capientes, enarrati ope unguenti facile reprimuntur.

Pauca

Pauca hinc conſectaria deriuaturus, ſequentia ſelegi: 1.) Inter tot ceſſationis menſtrui profluuii in mulieribus (*a.*) incommoda, quibus complures poſt quinquageſimum annum, quin & heic terrarum citius, premi adſolent, haut poſtremum ſibi uarices, in uariis artuum praecipue inferiorum partibus protuberantes, locum uindicant.

2.) Vxoris quadragenariae recordor, cui ſine liberis matrimonium ducenti ac a triennio aut nullum, aut parciſſimum interdum fluxum menſtruum expertae, tantus uaricoſarum uenularum reptatus, tractusque ſerpentinus retiformis, in interiori latere femoris ſiniſtri, paullo ſupra genu, enatus erat, ut cutim, ni curatius inſpiciebatur, e caeruleo liueſcente colore tingere uideretur.

3.) Herbarum uulnerariarum, multis ex obſeruationibus, primatum fere alias inter tenet, uulgaris, copioſeque in ericetis gramineis apud nos creſcens plantula, clarisſ. LINNAEO (*b.*) Pedicularis caule ramoſo, floribus ſolitariis remotis; celeberr. HALLERO (*c.*), multisque a-

L 5 liis

(*a.*) Quibus fœtum geſtantibus, quid? quod aliquamdiu poſt partum, haut raras exiſtere uarices, una cum PLATERO *Prax. tom. III. p. m.* 406; *obſeru. lib.* 2. *pag. m.* 333. 335, & alii, & ego obſeruauimus.

(*b.*) *Flor. Lappon.* §. 241. *Hort. Cliffort.* 326.

(*c.*) *Specim. de Pedicularib.* §. 7. 22. -- 28. Nulla tamen uel minima ſuſpicio occurrit, herbam hanc uiroſam dici debere, referente hoc eodem Amico optumo, D. D. HALLERO *l. c.* ex Jo. BAUHINO. Tam enim interne, infuſi aquoſi ſpecie, bibi quam externe confuſa ulceribus, uariique generis uulneribus, magno cum fructu, imponi ſolet, ut popularem eius infuſi de-

coctiue

liis (*d.*) Pedicularis pratenſis purpurea adpellata, quaeque in officinis noſtris communi *Fiſtulariae* nomine (*e.*) uenit.

4.) Quando uulnus uaricoſum alias in ambitu ſuo uarices fouet, ſupra balſamica ac uulneraria, quae uulneris aperturam inmediate tangunt, corroborantium & adſtringenti quodam modo uirtute praeditorum, cum aqua, aut, ſi circumſtantiae id requiſierint, uino acerbo rubro ebullientium, fotus adplicare extus conuenit.

5.) Suppurationis adminiculo ſenſim ſeparata uaricoſarum uenarum fruſtula confirmare uidentur antiquorum medicorum aeque, ac Chirurgorum, facta prius ſurſum & deorſum conſtrictione uenularum cum filo, exſtirpationem. Cuius quidem hiſtoriam operationis, propoſitam a diuo Coo (*f.*), Aetio Amideno & Paulo Aegineta,

coctiue potum, heic terrarum in uariis ulceribus chronicis ualde uſitatum, ſileam. Si quid umquam itaque de uirtute huius herbae a medicis botanicisue memoriae proditum adgnoſcerem, id ſane esſe deberet, cuius ſummam Dodonaeus olim, & ex eo Tabernaemontanus ac Mentzelius, dixerunt, adſtringente ui (malim conſolidante lenique corroborante), ad menſes profluentes ſiſtendos, ad fiſtulas, & ulcera ſanioſa ualere.

(*d.*) Quos, iuncto Mentzel. *Ind. Multil.*, omnes pleno ordine a ſuauiſſimo Hallero *l. c.* euolutos uideas.

(*e*) *Prim. Lin. p.* 76. ſub uoce: Pedicularis maior, flore purpureo, flore carneo, & flore albo. it. Dodon. *Purg. p.* 415. Ic. bon.

(*f.*) *Libr. de Medico, pag.* 18., edit. lat. operum, a Cornaro promulgatorum, ubi haec: „ Partes quae„ dam ſunt corporis, quae celerem ſanguinis fluxum „ ha-

TA, atque confirmatam, uberiusque explanatam a poſteris, Jo. TAGAULTIO, MARCO AURELIO SEUERINO, GUIL. FABR. HILDANO, reliquis, in plerisque cheirurgorum libris reperire licet. Nihilo tamen minus, ſi fieri utcumque poſſit, mitiorem cum aliis (*g.*) uiam eligere mallem, *in clauſis* faſcias latas, machinulas comprimentes, externa corrugantia adplicaturus, *in apertis* uero, inſtituta prius uaricum ſeparatione, uulnus, quem ad modum ſuperiore in hiſtoria feci, conſolidaturus. Neque enim tantum, mehercle! ſucco bryoniae robur ineſſe exiſtimo, quantum MUSITANUS (*h.*) ei adſignare pro more ſuo uoluit, expertum illud & infallibile remedium ad uarices curandas, quod numquam ipſum felici defraudauerit euentu, nuncupans, niſi & alia ad eiusdem laudes euehendas adceſſerint certa & digna experimenta.

6.) Quod ſi ad ſpontaneam uaſculorum uarico-ſo-

„ habent, & non facile eſt, eum ſiſtere. Tales autem „ ſunt uarices, & quaedam aliae uenae. Itaque in ta- „ libus anguſtas ſectiones facere oportet (*cum gladio- „ lis acutis*, *antea dixerat*), neque enim posſibile eſt, „ ut fluxus in his ſiſtatur „. Quo tamen loco maiores ramos uenoſos, u. gr. inguinales, crurales, &c. HIPPOCRATEM intellexisſe, arbitror, quoniam mediae magnitudinis uenulae, ut noſtro in caſu quae circa malleolos tibiae oberrabant, domeſticorum aliorumue ſtipticorum admotione medicaminum, occludi ſe haut aegre patiuntur.

(*g.*) HIERON. FABRIC. ab AQUA PENDENTE, Jo. HARTMANNO, CAR. MUSITANO, FELICE PLATERO, *Cel. D. D.* Jo. THEOD. ELLERO, &c.

(*h.*) *Chirurg. Tom. I. cap. 16. pag. m.* 99.

ſorum, ſuppurationis ope, peragendam ſeparationem, tantum forſan temporis requireretur, ut cura idcirco nimium protrahenda esſet, cum idonea omnino forſice ſuperfluas illas uenulas exſcindendas esſe, praeſertim ſi medicus aut cheirurgus ſemper praeſens quotidiana uulneris inſpectione gaudeat, cum PLATERO (*i*) iudico. Nihilo tamen ſecius liberam illam, ſponteque factam uaricum ſecesſionem, ſi fortuna faueat, nec aegrotantes nimia impatientia tacti murmurent, tamquam mitiorem praeferendam esſe, ſatius duco.

7.) Sciat peritus medicus, quo in caſu quandoque conueniat, ut in una eademque formula contraria ſibi inuicem miſceat, & adſtringentium uim emollientium lenitate infringat: haut aliter, ac interne lenis opiatorum doſis lubricantibus ac emollientibus pectoralibus ſumma cum utilitate additur.

OB-

(*i*) *Prax. Tom. III. pag. cit.*

OBSERVATIO XXIII.

HAEMORRHOIDES EXTERNAE, ULTRA MODUM PROFUSAE, IN SENE.

PErbene elegantiſsimus SANTORINUS (*a*): „ quum ſanguis aut per quantitatem, aut per „ qualitatem, aut per motum, ita fuerit uitioſus, „ ut maior ſit ipſius impetus momento ſupra ua- „ ſorum reſiſtentiam, hoc eſt, minor ſit fibrarum „ continentium in contactum niſus, quam par ſit „ ad coërcendum ſanguinis impetum, fiet hae- „ morrhoïdum fluxus ". Quam legibus motus adprime conuenientem theſin ſi quis attento uoluerit animo, cuncta haemorrhoïdum phaenomena & effectus breui enucleare poterit, ſimulque uidebit, quam ſuperficiaria cognitione ii boni uiri haut ita pridem ſint uſi, quibus perhibere placuit, fieri profluuium hocce ſingulari quadam prouidentis naturae directione, cuius omnem noſtrum captum ſuperanti, atque ſapienti conſilio, id agi perpetuo, ut omnes omnino corporis noſtri actiones, ſiue uoluntariae illae ſint, ſiue uitalium naturaliumue functionum nomine ueniant, ab illius nutu pendeant, cuiuscumque generis febres ſalutari effectu in nobis excitentur, grauesque ſaepenumero motus morboſi

(*a*.) *Diſſ. de haemorrhoïdib.* §. 15. *p. m.* 834, iuncta BAGLIUI operibus.

boſi eo tantum fine producantur, ut ſuperfluos potisſimum, ac ſubinde noxios humores eliminet, & tam diu ſerie continuata curſus hosce repetat, donec omne malum ſublatum ſit. Quorum opinionem iam confutare non placet, ne acta agere uidear, ſolum e permultis aliis perilluſtr. Dom. Jo. Gothofr. de Berger (*b.*) perlegendum ſuadens.

Neque latum in illum campum, quo uarii multiſciorum medicorum, an ex uenis cruor haemorrhoïdalis, an uero ex arteriis ſolum profluat, uaricesque an aneuriſmata gignat, diu acriter inter ſe diſceptarunt, exſpatiabor, non theoremata, ſed experientias offerens.

Ita enim ſolas in hoc morbo arterias pati ac diſtendi, modoque uera, nunc ſpuria aneuriſmata conflari, alios inter b. illuſtr. Dom. de Franckenau (*c.*) multis euincere argumentis conatus eſt, largam uariorum, ab utraque parte ſtantium, auctorum mesſem in medium ſimul proferens. Quam nouiſſimis temporibus ſententiam illuſtr. Santorinus (*d.*), deductis a priori, ut uocant, rationibus, amplexus quoque eſt.

Sed e uenis tantum deriuare humorem huncce placuit clarisſ. Hermanno Paulo Juchio (*e.*), ad-

(*b.*) *Diſſ. de haemorrhoïdib., ultra modum profuſis & caecis.*

(*c.*) *Satyr. med. diſſ. de haemorrhoïd. not.* 6. *&* 7. *p. m.* 439. *ſeqq.*

(*d.*) *l. c.* §. 14.

(*e.*) *Diſſ. inaug. de motu ſanguinis haemorrhoïdali*, ſub praeſid. Ge. Ern. Stahlii habita *cap.* 3. *p.* 9.

adſerenti, ob ualuularum in uena portae abſentiam, facilius ſanguinem, data cauſſa deorſum refluere, internasque ſeorſim adpellatas haemorrhoïdes prolicere poſſe. Qua in opinione, illuſtr. STAHLIUM (*f.*) praeeuntem ſequutus, conſentientem Jo. JUNCKERUM (*g.*), internas e ramis haemorrhoïdalibus uenae portarum, externas uero e ramis iliacis uenae cauae deducentem, & alios, habet.

Medio inter hos itinere profectus laudatus perilluſtr. Dom. de BERGER (*h.*) uidetur, qui tam ultimas arteriarum productiones, & exeſos maiusculos ſubinde ramulos arterioſos, quam uenam haemorrhoïdalem portae, atque peculiares inſuper, ex patefactis quoquo modo uaſorum capillitiis, in membranulas celluloſas cruorem emittentibus, formatos cuniculos (*i.*), factaque deinde alicubi rimula, illum foras propellentibus, ſedem morbi huiusce ſtabiliuit. Cui & ego, multiplici experientia, pondereque rationum uictus, lubens adſentior. Ac nihil profecto ueritati huic obſtare uiſum eſt, ſi cogitauerimus, a cauſſa in primis interna, ac niſu ſanguinis, ultimos capillares arteriolarum plexus diſtendente, aneuriſmata haemorrhoïdalia; a cauſſa uero quacumque, extrorſum in corpore adcedente, presſuque in uenam portarum, tento huius cruore retrocedere, ac deorſum refluere coacto, ibique in anguſtiores ſemper conos,

(*f.*) *Diſſ. de uena portae, porta malorum, pasſim.*
(*g.*) *Conſp. Medicin. theor. pract. tab. XI. p. m.* 67.
(*h.*) *Diſſ. cit.* §. 19. 20. 21. 22. 23. 24.
(*i.*) Quae princeps fiſtularum ani origo.

conos, a baſi lata arctum in uerticem, depulſo, haerente, tenuibus harum, ac muſculoſa ſua tunica priuatis canalibus, in momento ſuperatae reſiſtentiae dilatatis, tubercula, nodosue, ſi malis, uaricoſos haemorrhoïdales conflari. Ut adeo palam ſit, ueriſſimum eſſe effatum Bergerianum: „ quodſi per venas alias ſanguinem effluxiſſe experientia conſtet, quidni idem per uenas haemorrhoïdales fieri poſſe, ſtatuamus? Exire autem ſanguinem per uenas alias, quotidianae obſeruationes docent (k.) ".

Vir ſeptuagenarius, corpore macilento, procero, uaſisque magnis turgidis donatus, haec *d.* 19. *Junii* 1736. de morbo ſuo ad me ſcribenda curabat: Doloribus *nouiſſime byeme* in abdomine, & anorexia uexatus, ſaepe abdomen admodum inflatum ſenſi. Quibus aliquamdiu praegreſſis, circa *feſtum natiuitatis Chriſti* teneſmum ſaepenumero expertus, depoſitas inter feces inteſtinales ſanguinem uidere licuit. Quod phaenomenon ad hanc usque diem ea quidem lege continuauit, ut nunc ſerum ſubcruentum, modo, liquor flaueſcens, nunc autem merus promanarit cruor. Hoc uero ipſo malo moleſtiores copioſi, quibus expandor, flatus uiſi, & globuli haemorrhoïdales, per uices foras ex ano tumido dolente protruſi fuere. Ante triduum tandem inflammatus ani ſphincter tantam ſanguinis copiam ex aliquibus ruptis uaſculis profudit, ut apertum uitae diſcrimen ſubire cogerer.

Pe-

(k.) Conf. quae de uaricibus ſuperiore hiſtoria exaraui.

Petebat itaque, fluore ſanguineo adhuc iugi curſu continuante, ac reliquis caecis haemorrhoïdibus magnopere ardentibus, conſilium:

Rec. Mucilag. ſem. pſyll.
cydon.
foenu gr. ana unc. ſem.
Maſtich.
Camphor. ana dr. ſem. uel q. ſ.
ut fiat l. a. iuſtae conſiſtentiae ungt., quod ano adplicetur.
Rec. Eſſ. alex. Stahl. unc. ſem.
Hauriat ter in die 50. gt.

Quam medelam breui fluxus ceſſatio, dolorum ipſorumque tumorum abſentia ſequebatur, ſine ullo alio incommodo: hunc enim in diem, ac ita triennis fere poſt, incolumi uita gaudet.

Praetulerim facile ego in nimia haemorrhoïdum profuſione, quae ſcilicet uires notabiliter frangit, omnibus illis, citiſſimi auxilii falſis blanditiis quorumdam animos obcaecantibus ſedatiuis ac adſtringentibus commoda reſoluentia lenique diaphoretica ui pollentia ſic dicta alexipharmaca, quorum uirtute ſanguis ad uniuerſum corporis ambitum agitatus, roſcidi ſpecie madoris ſuperflua oportune dimittit, & aequabili motu ab inferioribus reuulſus, per reliquum corpus ita dispergitur, ut par uaſis ac humoribus robur remaneat, & perſpiratio conſeruetur. Sed in maiori adhuc rerum anguſtia conſtitutus, mallem profecto ad infuſum

millefolii, & uaria e fructibus aurantiis parata remedia tuto confugere, quam praematuro opiatorum auxilio noxas aegrotanti certo futuras inferre, niſi adcedentes febres inflammatoriae aliter ſuaſerint, quae tamen haut ita ſaepe uſu uenire ſolent.

OBSERVATIO XXIV.

LVMBRICI IN VENTRICVLO ET INTESTINIS, GRAVIA MALA EXCITANTES.

QUot quantaeque calamitates in corpore humano a uarii generis uermibus quotidie excitentur, multis euincere argumentis non attinet, quum omnia, quotquot pene hactenus morborum ſyſtemata in uulgus emiſſa ſunt, ſatis ſuperque de iis loquantur. Non enim ſatis fuiſſe uidetur, ut illi trium generum uermiculi, lumbricorum, uermium cucurbitinorum & aſcaridum nominibus in medicorum ſcholis expoſiti, machinae noſtrae miſerias adaugerent, ſed placuit, poſt primaeuorum parentum lapſum diuino eique ſapientiſſimo & iuſto rerum noſtrarum moderatori, uarios alios, tam in alimentoſo canali, quam in cunctis fere membrorum noſtrorum locis iis addere, ut iuſtas promeritasque facinorum poenas lueremus. Ac in ueſica quidem urinaria, ut duo tantum exempla in medium adducam, uarios diuerſae molis corniculatos, atque cum lotio excretos, reperit cura-

uitque depingendos Cl. PAUL. GOTHOFR. SPERLING (*a*.). Et uermes piloſos, uerſicolores ac multipedes, erucis & longitudine, & partium ſtructura ſimillimos, uomitu ab aegris leucophlegmaticis reiectos, adſeruauit Celeb. CONR. PHIL. LIMMERUS (*b*.). Ex ipſo inteſtinorum canali, acutae febris furore, propulſum, & per umbilicum, funeſto puerperae cuiusdam euentu, exitum quaerentem lumbricum, *ego* haut ita pridem alibi (*c*.) adumbraui. Quo ipſo etiam loco uermium paruorum, alborum, teretium, capite coccineo donatorum, praegreſſis convulſionibus eructatorum, mentionem antea (*d*) inieceram. Quin immo obſeruare intuerique hac aeſtate licuit, puerperae, tertia puerperii hebdomade, diuturnis lentis febribus emaciatae, facta ad montem ueneris metaſtaſi, ulcus ex multis paruis foraminulis, poſt triduum in unam magnitudine imperialis aperturam cöeuns, formatum, cum pure ſpumoſo, fecibus aluinis permiſto, lumbricum ultra pedem longum uiuumque reddidiſſe. Sed maxume ſingularis, & paucis forſan audita eſt tanta lumbrici teretis longitudo, qualem illuſtr. BAGLIVUS EPISTOLA (*e*.) ad NIC. ANDRY his uerbis deſcripſit:

M 2 „ J'ai

(*a*.) Diſſ. *de uermibus in primis uiis*, §. 3, ubi & alios ab aliis propoſitos uideas.

(*b*.) Diſſ. *de uermium*, *ſeu lumbricorum in C. H.*, *ex injectorum ouis*, *generatione & curatione*, §. 19.

(*c*.) *Commerc. litterar. Norimb.* 1736. *hebd.* 3. *num.* 1, p. 17. *ſeqq.*

(*d*.) *Commerc. litt.* 1735 *hebd.* 28 *num.* 6. *p.* 220.

(*e*.) *Operum Baglivianor. p. m.* 696 *ſeqq.* conf omnino

„ J'ai connu à Rome en 1696. un jeune homme
„ de 20. ans, extremement pâle, fort maigre,
„ grand cracheur, lequel faiſoit excès de toutes
„ ſortes de laitages. Un matin, comme il cou-
„ poit un oignon, l'odeur lui en vient ſi forte-
„ ment au nez, qu'il demeura comme ſuffoqué,
„ & qu'il croyoit mourir; quelques momens a-
„ près il lui ſurvient un uomiſſement, & il jette
„ un ver rond de trente pieds de longueur, tout
„ roulé comme un peloton, après quoi il revint
„ à lui ".

Nec haut ita multis, quod THEOD. ZUINGERUS (*f.*) aliquando ſe offendiſſe adfirmat, cognitum erit, qui minimos alios uermiculos, e priorum poris emigrantes, tradidit.

VI. Adeo mirum non ſit, in id ſententiae delapſum nuper esſe Celeb. Dom. NIC. ANDRY, ut perſuaſum ſibi exiſtimaret, multos admodum in corpore humano oboriri adfectus, quorum causſa perperam, neſcio, quot diuerſis rebus, quum tamen ſaepius uermibus ſit tribuenda: referente ac fuſius haec explicante Clariſſ. JO. CONR. BARCHUSEN (*g.*).

D. 18. *Octobris* 1734. ab hortulano, 24. annorum, ſtaturae pumilae, faciei brunnae, colli bre-

no *p.* 699. & 700., ubi uermis pericardii rarus, & experimenta curioſa, cum lumbricis, uariis liquidis inmerſis, & modo citius, modo tardius neci datis, inſtituta.

(*f.*) *Paedoiatreias obſ.* 109. *p. m.* 437.

(*g*) *De Medicinae origine & progresſu, diſſ. XXV. p. m* 558 *ſeqq.*

breuis & anguſti, in omnibus actionibus ualde alacri, mobili, bilioſo, uocabar. Quem *die praecedenti* 17. *Octobris* febre intermittente, cum horrore, contractione genuum, illorumque dolore grauatiuo, tum inſequente febrili calore, ut & mentis leni abalienatione correptum fuiſſe, ac praeter ea integro hoc menſe pluuioſo, uariisque uentis, zephyro praecipue, agitato, horticulturam foras exercuiſſe, atque de re quadam nouiſſimis diebus grauiter iratum eſſe, praeſens expiſcabar.

Jam uero *circa ueſperam*, *die* 18. *Octobris*, in ſimilem paroxysmum inciderat, morſus uentriculi, atque conatus uomendi adceſſerant, aucti fuerant. Mox omnia, quae liquida ingeſſerat, ore reiiciebat, adeo, ut nihil continere in uentriculo poſſet. En medelam!

Rec. Pluuiae unc. III.
Sal. abſinth. dr. II.
Syr. acetoſ. citr. unc. ſem.
Sumat omni ſemihora cochleare unum.

Haut ita multo poſt uomitus, febris, cum ſudore largo, ceſſare. *Mane ſequenti*, *d.* 19. *Octobris*, nil quidquam amplius, quantum ſenſu quidem percipi poterat, noſtrum uexabat, uegetus, ualens erat, nondum tamen adpetebat.

Hora 4. *pomerid.* ſubitaneo animi deliquio, cum ſpiritu breui, citato, non numquam ad ſenſum ceſſante, extremorum porro frigore, pulſu ualido, aequali, frequente, ſaepius iterum debillimo,

detinebatur. Aliquatenus, me abſente, ope aceti, naribus adtracti, frontisque ac temporum cum aceto adſperſione, refocillabatur, magna tamen infirmitudine tactum ego adcedens eumdem inueniebam. De tanta autem anxietate, atque cordis palpitatione ſigna dare uidebatur, ut ſubitaneo, ac repetito impetu, manuum ungues pectori, illud dilaceraturus, adplicaret. Atque in ſumma inquietudine conſtitutus, nil eloqui, quae patiebatur, poterat, pulſus tamen robuſtus, frequens & aequalis manebat. In hoc itaque perturbato rerum ſtatu, quum ſola oſtenſio ad fauces uomendi iterum conatus indicare uideretur, potionem hanc ordinabam, qua motus in uentriculo ſedare, anxietatem cordis abigere, mentemque reuocare adnitebar:

Rec. Pluuiae unc. III.
aqu. prophyl. Sylu. unc. ſem.
ſal. abſinth. dr. II,
ſuccin. ppt.
conch. citr. ana dr. I.
Syrup. rub. id. q. ſ.
Ut f. grata potio, addendo parum ſacchari perlati, detur omni ſemihora cochleare unum.

Potus ordinarius erat infuſum theae, cum ſufficienti portione ſalis prunellae impraegnatum, ut aeſtus auerteretur, ſitisque, cum magna faucium, ut & oris uiſcida ſiccitate gulam torrens, diminueretur. Cui quoque fini os cum oxycrato frequenter colluebat, unde, adtracto ſimul naribus forti

forti aceto, aliquoties ſternutans, egregie ad ſe redibat. Verum nec dimidia quidem, a ſumto potionis cochleari, hora erat praeterlapſa, quum maxumo conatu dimidiam circiter ulnam adaequantem lumbricum uiuum euomeret. Atque tum demum morbi cauſſam, morbumque principem cognoſcebam. Nihil enim aeger antea de morſibus uentriculi, aut praecedente lumbricorum per aluum excluſione retulerat, quae tamen ſymptomata, diu praegreſſa, quaeſtionibus ſuper ea re inſtitutis, nunc mihi innoteſcebant. Scire namque, aegrum multos per annos uentriculi mordaces dolores, ſeorſim autem circa umbilicum luna creſcente auctos, decreſcente inminutos, percepiſſe licet, quos ante hac ſola, horis matutinis, corticum aurantiorum recentium, uel maturorum uel inmaturorum, qui hortulano ad manus ſemper erant, maſticatione ſubegerat, iam uero per annum & ultra neglexerat. Indicatione itaque mutata, alio remedio opus erat. Quibus adcedebat, quod uehementisſimus circa pylorum morſus, nonnumquam lancinans & conuellens, aegrum fortiter torquere inciperet. Praecordiorum anxietas decreſcebat, motusque ſanguinis, citatus licet, aequalis tamen redditus fuerat. In theae igitur infuſo tepido quatuor guttas ſpiritus uitrioli inſtillatas aegro porrigebam. A cuius uſu, & linteo quadruplicato, oleo heraclino Rulandi inmerſo, uentriculi regioni impoſito, confeſtim improuiſos & celerrimos in ſtomacho motus cum murmure & morſibus perſentiſcebat, quae tamen phaenomena, poſt unum alterumue momentum diſparebant. Atque hoc modo placatis doloribus,

totam fere *noctem* placidus dormiebat.

Mane diei 20. *Octobris* paroxyſmo febrili cum ſudore deſinente, aeger bene refectus, in lecto, deſuperato tanto impetu gaudens, hilari mente iacebat. Vomitorium proponebam, quod tamen timidus omni niſu recuſabat. Hinc deorſum ad minimum, fieri ſi poſſet, ex uentriculo, aut forſan, ſi adesſent, ex tenuibus inteſtinis lumbricos expulſurus, hoc propinandum curabam:

Rec. rad. Jalap.
aethiop. mineral. opt. ana gr. XII.
ſyr. roſ. ſolut. ſimpl. unc un.
M. quod eclegma ſtatim lambendum.

Quater poſt huius uſum uentrem deponebat, at enim uero nullus excludebatur uermis. Ceterum nil, niſi pomum unicum, aniſi cum ſemine coctum, adpetebat. Potum theae, parum ſale prunellae acuminatum, frequenter ſitiens, continuabat.

Hora 4. *pomeridiana* nouum adpropinquabat frigus febrile, genuum quoque dolores, ac lenis nauſea reuertebantur, quae tamen circumſtantiae *hora* 7. *ueſpertina* adeo augebantur, ut prae morſibus uentriculi, & anxietate, repetitum animi deliquium pateretur, ac fere exanimis, diductis artubus iaceret. Ope aceti acris ſemel iterumque expergefactus, horrendi conatus uomendi ingruebant, qui ſumme debilem noſtrum reddebant. Miris praeter ea inſultibus, totius membra corporis conuellentibus, quando uomere tentabat, adfli-

ge-

gebatur, tumque poſt aliquot minutorum decurſum, uiribus fractis, inmotus quaſi relinquebatur. Atque ſub hoc temporis impetu ſpiritus creberrimus, pulſusque citatus, ſub ipſis illis conuulſionibus fortis, poſtea debilis, ac paruus, ſemper tamen aequalis, deprehendebatur. Variis antea, & nunc ad nauſeam ſedandam, quoniam in paroxyſmo febrili conſtitutus erat, ſine omni tamen medela, adhibitis, hoc ſtatim ingeri iubebam:

Rec. tart. emet. gr. II.
aqu. cinam. ſ. uin.
menth. ana unc. ſem.
ſolut. M. D.

Quem per horae quadrantem hauſtum retinebat, tum autem infuſum theae tepidum ſuperbibens, repetitis uicibus, ſpatio trium fere horarum, decem lumbricos, cubitum & ultra longos, liquori copioſo, gelatinoſo, bilioſo innatantes, euomebat. Notandum autem, quoties lumbricus eructandus erat, grauiſſimos & incredibiles fuiſſe in eo uentriculi orificio, quae cardia anatomes peritis nuncupari ſueuit, dolores excitatos, & poſt quamlibet uomitionem intenſiſſimos totius uentriculi cruciatus reſtitiſſe, quos unice a lumbricis ſuperſtitibus prouenire certus eram, quoniam aegrotans, parum ſibi ipſi per interualla conſcius factus, pilam, quaſi conuolutam, in uentriculo huc illucue deuolui, conſtanter adſerebat.

Hora 10. *ueſpertina*, uellicationibus in ſtomacho necdum cedentibus, ita tamen uiribus exhauſtus

aeger, ut uomere amplius nequiret, uixque prae ſpiritu infirmo loqui ualeret, huius dimidiam ingurgitabat doſin.

Rec. pluuiae unc. I.
laud. op. gr. II.
M.

Quo adcepto, leuiter dormiſcebat, dolorum tamen praeſentiam, manuum ad uentriculum feroci non numquam adpulſu, commonſtrabat. Ceterum calor febrilis inminuebatur, pulſusque plenus & aequalis euadebat. Subinde quoque oenopegii aliquot uncias ebibebat. Poſt horam fere dimidiam placidus dormiebat.

Mane d. 21. *Octobris*, ſe ex ſomno refectum, doloresque uentriculi prorſus abesſe, referebat. Juſculi carnium tenuis aliquantum comedens, aluus reſpondebat. Potum oenopegii gratum, quum infuſum theae iam abhorreret, continuabat.

Hora undecima antemeridiana pilulam ex mica panis triticei & olei heraclini RULANDI guttis quatuor deuorabat.

Atque harum quidem pilularum, quum boni exinde fructus me non fugerent, ulteriore in uſu ea ut lege perſiſteret, imperabam, ut ter pluriesue in die unam deglutiret.

Quo etiam *ad diem* usque 30. *Octobris* facto, nullius ſibi aegritudinis conſcius erat, quid? quod, faſtidio demum aduerſus pilulas enato, harum loco guttas olei octo & plures (*a*.), ex pura aqua com-

(*a*) Poteris ſecure ad triginta guttas in adulto, ter de die uſurpandas, adſcendere.

commode hauriebat. Praeter ea quoque conſulebam illi, ut decoctum corticum aurantiorum, inſtar potus ordinarii biberet, adductus praecipue hanc in ſententiam, quoniam aegrotans, uti ſupra relatum eſt, longo temporis decurſu, corticum praedictorum eſu ac potu, a uermium malo ſe praemunierat. Quibus omnibus, frequentes aegrum in ſomno pauores animaduertere coepiſſe, quorum antea obſeruationem neglexerat, addendum erit.

Initio menſis Nouembris diuerſis alui ſolutionibus quinque, uulgaris magnitudinis, lumbricos excernebat, ceterum ab omni moleſtia dolorifica immunis.

D. 16. Nouembris nouam in febrem, uagam, uerminoſam, incurrebat. Tempeſtas erat pluuioſa, uentisque ualde commota, cui noſter ſe nimis concrediderat. Dabam ſcopo discutiente hoc:

Rec. pluuiae unc. iv.
ſal. abſinth. ſcrup. II
lap. cancr. ppt.
ſuccin. alb. ppt. ana dr. ſem.
M. ſumat omni hora diei cochleare unum.

Finito paroxyſmo, *d.* 17. *Nouembris* uermes hac denuo ratione adoriebar:

Rec. ol. heraclin. Rulandi unc. ſem.
D. omni bihorio guttae 10

Rec. Tart. uitriol.
muſc. corallin. ana ſcr. ſem.

aethiop.

aethiop. miner. gr. VI.
M. D. in ſextuplo, capiat aeger mane, hora nona, poſt meridiem, tertia, & ueſperi hora octaua, qualibet uice unum.

Quibus *d.* 18. *Nouembris* hoc ſubiungebam:

Rec. aloës unc. ſem.
colocynth.
myrrh. ana dr. unam ſem.
hb. abſinth.
iugland.
rad. bryon. ana dr. I.
cer. dr. VI.
ol. rutac. q. ſ.
Ut malaxatio fiat, extend. in ſuff. q. ſuper alutam, S. ſcutum ſtomachale.

Horum poſt uſum tres alios adhuc uermes per anum excludebat, ſubiunctoque, quoniam nauſea aegrum rurſus uexabat, uomitorio d. d. 20. Octobris, quinque alios adhuc lumbricos uiuos, prioribus maiores, omnes teretes, euomebat. Quibus finitis, ſanitas ſequebatur.

Pauca ex his deduxiſſe ſufficiat:

1.) Febres licet uagae, nunc remittentes, nunc intermittentes, uermibus communiter adſociari ſoleant, periodice tamen, ſtatis temporibus horiſque recurrentes, non minus, praecipue heic locorum, eosdem comitantur.

2.) Acidorum ad uermes interimendos utilitatem, antiquis adeo commendatam, recentioris aetatis

aetatis complures, iidemque probatae fidei medici haut iniuſte in dubium uocant, diuerſae indolis amara & oleoſa, blande acria, iis praeferentes.

3.) Qua lege ſancita, mirum uideri non poteſt, Rulandum (a) oleum ſuum heraclinum tantis quondam laudibus euexiſſe.

4.) Confirmatur egregia uis aurantii tam fructus, quam corticis, ac florum, aduerſus lumbricos, abunde tum noſtra hiſtoria, tum breui ſpatio, quo uermes in aquam florum aurantiorum inmerſi, poſt octo horas conuulſionibus correpti, obiere; teſte illuſtr. Bagliuo (b).

(a) *Curation. empiric.* paſſim.
(b) *l. c. p.* 700.

OBSERVATIO XXV.

APOPLEXIA EX IRA CVM VERMIBVS.

Nihil profecto acutius, nihil maiori cum ueritate, nihil, inquam, feliciori omine, de morbis herculeis, a lumbricis repente in ſcenam productis, diuinari potuiſſet, quam quod ſagax Baglivvs (a), conſentiente nobili, Dom. Chesnav, hisce effatus eſt: „ Quod ut plurimum ho-
„ mines

(a) *Oper. Lib.* 1. *p.* 59.

„ mines ex improuiſo, & ſine ulla cauſſa manife-
„ ſta, & ſignis, alios morbos comitantibus, in
„ ſubitum uitae diſcrimen incidunt, & cadunt,
„ ueluti apoplectici, cum extremitatibus frigidis;
„ pulſu exilisſimo, qui fere ſemper ſignum eſt
„ uermium latentium, uti & ſingultus; aphonia,
„ quando improuiſa mania, tunc de uermibus
„ dubitandum ".

Quadrant haec adeo exacte ad noſtram hiſtoriam, ut ex hac, uelut corollarium, elicita eſſe fere crederes. Niſi tamen aliunde iam conſtitiſſet, aegrotum noſtrum uermes alere, quod antecedente hiſtoria luculenter euicimus, causſa a uermibus adducta in tenebris forte latitasſet, quum morbo huic antegresſa ira cauſſae proxumae faciem utcumque prae ſe ferre uideretur.

Atque ut ab initio narrationis filum exordiamur, idem ipſe uir, *d. 2. Decembris eiusdem anni*, *hora 2. pomeridiana*, prandio uix capto, repente de ſella humi cum clamore corruebat, rigidis, diſtentisque ualde oculis, ac artubus recta protenſis. Senſus omnis perierat, uixque motus aliquis muſculorum leuisſimus deprehendebatur. Difficulter erecto, ac aliquali ſenſus interni umbra, aceti ope, reuocata, ego aduocabar. Subitaneum hominis ac nouum periculum mirabar, quaeſtioneque inſtituta, praecesſam aliquot abhinc diebus inſignem iram, internis tantum moeroribus ſuppresſam, explorabam. Sermonis autem difficultatem, atque inſolitum membrorum rigorem, uultumque toruum, antemeridianis iam huius diei horis adparuiſſe, nunciabant. Neque aegrotans ullam irae ſuae mentionem fecerat, ſed uehementioribus animi

mi internis perturbationibus eamdem abſcondiderat, malumque eo ipſo adcelerasſe uidebatur. Qualibet de re interrogatus, ſurdus ac mutus, ſilebat. Naribus, & fronti, & uertici, & temporibus hunc admouebam liquorem:

Rec. aqu. apoplect. unc. I.
ſpir. ſal. ammon. ſimpl. dr. ſem.
M.

Frequenti nauſeae, qua uexatum cognoſcebam, ut & paullo ante ſumtis cibis, quorum grauitate uentriculus aortam &c. premebat, abiiciendis, ſimplici lenique hoc uomitorio, uires ſimul conſeruaturus, occurrere ſtudebam, praeſertim quum apoplexia hisce omnibus potius adnunciaretur, quam reuera iam adesſet

Rec. Tartar. emet. gr. II.
aqu. naph. uinoſ. dr. VI.
f. hauſtus pro una uice.

Scire autem inſuper licet, aegrotum in eum, repetito ſpirituoſi liquoris praedicti uſu, ſtatum eſſe redactum, ut quaeſtiones propoſitas unico uerbulo, uel adfirmare, uel negare posſet. Faciei quoque & extremarum pallor aeque, ac frigus partium, remittebant. Pulſus utique naturalem ſuum ac prorſus aequalem uigorem recuperabat, niſi paulſulum tardiorem atque debiliorem dicere malueris. Atque haec ſane pulſus ratio mihi perſuadebat, ut ſanguinis ex uena detractionem adhuc omitterem

rem, praeſertim quum nihil duri in pulſu adpareret.

Haec de liquoris ſpirituoſi effectu: ueniam nunc ad uomitorii uſum. Bis materiam ex uiridi brunnam, pinguedinoſam, bilioſam uocares, reiectis prius cibis, euomebat. Qua bene re geſta, nauſea euaneſcente, morbus ſuum ea quidem ratione tenorem conſeruabat, ut paullo ante recenſita phaenomena grauis torpor, ac ſoporis quaedam imago comitarentur, motiones autem unius alteriusue membri, rigore neruorum parum remittente, aliquo modo reuerterentur.

Hora 8. *ueſpertina* ſubito, in lecto erectus ſedens, cum tetro clamore retrorſum rurſus proſternebatur; facies pallida; oculi, ceteraque membra rigida; reſpiratio coacta, moleſta; maxillarum, ad ſe inuicem adactarum, ualida occluſio; ſpuma ante os; ſtertor; pulſus aequalis, modice plenus, ac celer; ſenſus ac motus plenaria abolitio; uultus confeſtim tumebat; lingua, in parte anteriore a dentibus morſu uulnerata, ſanguinis guttas aliquas per dentium interſtitia protrudebat. Diſtrahebam digitis meis, interiecto iisdem cochleari, cautus maxillas, atque de praecedenti ſpirituoſo liquore drachmam circiter ori infundebam. Quo intra paucorum minutorum ſpatium ter ingeſto, ac per fauces lente deſcenſo, oculos aperiebat, atque ſpeciem prae ſe ferebat, ac ſi ſenſuum aliquantulum particeps redderetur. Inter haec, ad uncias nouem fere, ſanguinem ex brachii uena mittendum curabam. Illo autem, qui calidus ualde fumabat, cum uigore, largo e uulnere, adſcendente, aeger caput, oculis in uenae uul-

uulnus determinatis, mouebat. Qua re proſpere cedente, praedictam liquoris quantitatem, omni horae quadrante, ori inmitti iubebam, ſitumque aegrotantis adcliuem, collo a monili liberato, prius erecto, praecipiebam. Externum quoque liquoris frequentem uſum, neque minus caryophyllorum aromaticorum maſticationem, ſi poſſet, monebam. Tantum enim iam ſenſuum recuperauerat aeger, ut monitus quacumqne de re, morem gereret; confeſtim licet in torporem recideret, nec mentis ideas obſcure conceptas, uocibus exprimere ualeret. Quibus addere libet, ſtertorem plane ceſſiſſe, ſpiritum paullo liberiorem factum, caloremque blandum fuiſſe.

Hora 3. nocturna, d. 3. Decembris, quum ſolita liquoris portio propinaretur, ſermonem primum, mutilatum quamuis, proferebat.

Hora 7. matutina bono in ſtatu aegrum, qui omnium eorum, quae heri & nocte ipſi adciderant, plane inſcius erat, inueniebam. Vires mediocriter refectae erant, omniaque ſymptomata ceſſerant, praeterquam quod lingua tumida adpareret, ac loquelam quodam modo impediret, nauſeaque ſubinde leuis moueretur. Haec aluum recludendam eſſe, docebant, ut relictis in alimentoſo canali alimentis, ac ſuperfluo ſeroillioſo pariter, ac pituitoſo exitus pararetur.

Rec. Maſſ. pil. cochiar. ſcr. I.
extr. catholic. ſcr. ſem.
M. ſoluatur in uini albi gall. ſuff. quant. u. gr. dr. VI. ad unc. I.
f. hauſtus, una uice ſtatim ſumendus.

 Pul-

Pulſus & calor, pro infirma ac debili aegrotantis conditione, exoptati erant. Diaetam tenuem e iuſculis dilutis imperabam. Anxie quoque tabaci, cui ualde adſueuerat, ſuctionem a me petenti, hunc parce fumandum concedebam:

Rec. hb. origan.
rut.
ſalu. ana manip. i.
flor. lauend. pug. i.
roſ. r. pug. ii.
L. Rhod. dr. ii.
Inc. cont. gr. m. ita miſceantur inuicem, ut duae tertiae huius uni uulgaris tabaci tertiae reſpondeant.

Liquoris uſum ſpirituoſi externe commendabam, ceu ante factum fuerat, interne tamen praeſcriptam doſin ter de die hauriendam praebebam.

Ad linguae tandem calentem tumorem hoc ſuadebam:

Rec. pluu. q. ſ.
conquasſetur cum
uitell. oui num. i.
cui adde:
ſacch. albisſ. parum ad grat. ſapor.

Hoc gargariſmate aeger ſaepius utebatur, illudque uel deglutiebat, uel pro lubitu exſpuebat, a cuius continuato uſu poſtridie huius diei omnis linguae dolor ac tumor euaneſcebat.

D. 6

D. 6. Decembris ſpiritum d. d. 2. Decembris externe tantum adhibebat, beneque iam ingerens, excernens, ac perſpirans, in conclaui obambulabat, leniterque & cum uirium refectione dormire poterat. Ad octiduum tamen exitum e domo ipſi adhuc interdicebam, ne ab aëris auctumnalis, aut potius hyberni iniuria iterum adficeretur.

Sequentibus tribus menſibus, luna decreſcente, ter de die 20. ad 30. guttas *olei heraclini* RULANDI ſumebat, quo, cum purgantibus non numquam coniuncto, tantum efficiebam, ut multos adhuc lumbricos, deſcriptae ſuperiori in obſeruatione magnitudinis, cum omni dolorum in alimentoſo canali, ac nauſeae, qua interdum uexatus fuerat, remisſione, excerneret, atque hac ratione, ſub diuini numinis auſpicio, optume ſanaretur.

Ex his fluunt ſequentia:

1.) Apoplexia ſymptomatica facilius tollitur, ac idiopathica.

2.) Datur frequens morbus attonitus, ſine ullis, ſenſui obuiis, ſignis externis praecurrentibus.

3.) Quamvis aetas, ab anno quadrageſimo ad ſexageſimum, maxume oportuna ad apoplexiam producendam a celebratisſimis medicis (a.) iure habeatur, iuniores tamen etiam, praeſertim ex ira, uermibus, etc. eadem ſaepe corripiuntur. Teſtatur id noſter.

4.) Facilius ſanatur hic morbus hyeme, quam aeſtate, ratione, & praeſtantisſimorum auctoritate uirorum conſentientibus.

N 2 5.) Non

(a.) Vid. LOMMII *Obſerv. medicinal. p. m.* 72. BELLINI *opuſc. pract. de morb. capit. p. m.* 369, & alios.

5.) Non promiſcue ſuadendus eſt acidorum, temperantium & refrigerantium uſus in omni morbo attonito: qui enim ſanguinis copia non abundant, maiori profecto medicamentorum ſtimulo indigent, praecipue quando neruoſi ductus ob ſoporem admodum ſtupidi euaſerunt.

6.) Longe aliter ſe res habet, quando apoplectici uenis magnis turgentibus, copioſo ſanguine feruido repletis, gaudent, ac morbus in aeſtatem incidit, plenoque uigore aetatis homines eo corripiuntur. Tum enim facta humorum ſuperfluorum deriuatione, temperando plus efficies, atque diluendo, quam oblatis ſuperbis illis bezoardicis, aut cardiacis calidis, praeſertim ſi, abſque ſudorifera ui, aromatica tantum exſiſtant.

7.) In uomitoriorum exhibitione apud apoplecticos prouidum te agas, nec quidquam mouendo, niſi cruditates mobiles adeſſe, certo cognoueris. Quod ipſum b. perill. Dom. de Berger, adſentiente Cortnummio *de morbo atton.*, priuatim: maxumi autem commodi illa eſſe, ſi aeger multa comederit, ne uentriculi moles aortam premens, ſanguinis circulum adhuc magis impeditum reddat.

OB-

OBSERVATIO XXVI.

ANASARCA, ASCITES, HYDROCELE IN PUERO:

ubi ſimul

ANATOME FEMINAE, POST FREQUENTEM PARACENTESIN ASCITE DEMORTUAE.

A Capitis morbis, uermium culpa in adulto enatis, ad infimum uentrem deſcendam, iuniores, & puerum, & adoleſcentem, in medium prolaturus, quibus lumbrici teretes tam uarii generis febres intermittentes, quam hydropis diuerſas ſpecies, una cum haut leui uitae periculo, conciliarunt. Ac quantum quidem ad hydropem attinet, nihil ſane uermibus ad eumdem producendum aptius exſiſtit. Qui, ſepoſita cuiuslibet, ſiue infantis, ſiue adulti, ad lentorem ſanguineum, & uiſcidum in eo cumulandum, naturali diſpoſitione, ἰδιοσυγκρασίαν graece uocant, continuis ſuctibus, & uellicationibus, ex ultimis arteriolis, uel ſanguineis, uel ſeroſis, in caua inteſtinorum hiantibus, tenuiſſimam atque roſcidam lympham exſugentes, in ſuique nutrimentum conuertentes, id clam ſurripiunt, quod uilloſo-uaſculoſam inteſtinorum tunicam, totamque illorum cauitatem lubricare, fibras flexiles conſeruare, nouiterque praeparatum chymum irrigare, & ad elaborandum chylum ma-

gnam conferre operam debuerat. Fieri itaque aliter nequit, quin ſuperſtes in uaſis arterioſis cruor magis tardum ſubeat circulum, ipſa eorum uis oſcillatoria, amiſſo potiori nutrimento, langueſcat, fibrarum elater ſuperetur, uaſa nimis diſtendantur, in uenis ſeorſim, ac praecipue in iis, quae longiſſimo itinere a corde remotae ſunt, uenaeque portarum ſurculis, & proinde in liene, hepate, meſenterio, &c. coacervetur, in lymphaticis, a uicinarum preſſu partium, lympha impediatur, repellatur, corcula lymphaticorum, ubi maxumus in contrarium niſus determinatur, expandantur, ſaepius rumpantur, atque ſic tandem uaria uariorum corporis membrorum loca aquoſo humore, magis minusue glutinoſo, ſalſoue aut inſipido, prout diuerſa ſanguinis indoles id efficit, ſuffundantur, repleantur. Quibuscum optume conſpirant, quae illuſtr. Boerhaave (*a*) & celeberr. Ellerus (*b*) egregie ſuper hunc morbum commentati ſunt. Quoties igitur noſtro in caſu uermes, uiribus adhuc integris, neci dari, expellique foras poſſunt, toties, cauſa morbi dempta, futurae ſpes ſanitatis adfulgebit.

Nec opus erit, ut curam illam temporariam, quam paracenteſin graece nuncupant, heic in ſubſidium uocemus, cuius generatim infidum auxilium, merito cum laudatiſſimo Ellero (*c*) cenſemus, niſi ad prolongandum morbum, aut anxietates

(*a*) *Aphor. pract.* §. 1215. *ad* 1229.
(*b*) *Obſeru. med., in Xenodoch. charitat. Berolin. fact. germ. edit. p.* 70. *ſeqq.*
(*c*) *Obſ. l. c. p.* 80. *ſqq.*

tates aegrotorum adleuiandas ea non numquam indigeamus.

Quo loco praetermittendam haut duco hiſtoriam hydropicae cuiusdam Gedanenſis, cui ſuauiſſimus olim Praeceptor, D. D. Jo. Ad. Kulmus, adminiſtrante dexterrimo Cheirurgo, Dom. *Ludolph. Remmers*, acu punctionis abdominalis ope, per integrum annum, uitam, Deo benedicente, prorogabat. Cuius optumi uiri pace adnotaſſe heic interim (*d*) liceat, uxorem hanc, florida in aetate conſtitutam, hydrope aſcite tentatam, futurae ſalutis optumam primo ſpem dediſſe, poſtea uero inmoderato ſuo uiuendi ordine, uoracitate, ac incredibili in fructus omnis generis horaeos libidine, qua durante morbo delectabatur, eo tandem rem redegiſſe, ut inuita prouida D. Profeſſoris Kulmi cura, animam, anno elapſo, efflaret. Quoties in hac aqua nimium adcreſceret, paracenteſi efflagitata, ea lymphae quantitas iis temporibus extrahebatur, qualem ſequens tabula monſtrat:

1.	1730.	d. 8. Decembris	effluebant pond. ciuil.	22. libr.
2.	———	d. 11. ———	——— ——— ———	8. libr.
3.	1731.	d. 22. Januarii	——— ——— ———	22. ——
4.	———	d. 12. Februar.	——— ———	25. ——
5.	———	d. 5. Mart.	——— ———	22. ——
6.	———	d. 19. ———	——— ——— ———	22. ——
7.	———	d. 25. April.	——— ———	26. ——

(*d*) Usque dum promiſſas illas rariſſimas, medici ac cheirurgici commatis, hiſtorias, quarum complurium teſtis oculatus ego annis 1729-1732. fui, in uulgus ediderit.

8.	—	d. 16. Maii	— —	22.	—
9.	—	d. 18. Junii	— —	22.	—
10.	—	d. 13. Jul.	— —	26.	—
11.	—	d. 20. Auguſt.	— —	23.	—
12.	—	d. 17. Septembr.	— —	28.	—
13.	—	d. 14. Octobr.	— —	24.	—
14.	—	d. 4. Novembr.	— —	28.	—
15.	—	d. 21. — —	— —	30.	—
16.	—	d. 28. —	poſt mortem —	22.	—
			Summa —	372.	librae

Notari uelim, tantum aquae quauis uice eductum fuiſſe, quantum aegrotans ſine animi deliquio ferre commode poterat.

Hora circiter *poſt mortem* cadauere aperto, uaſa lactea, receptaculum chyli & ductum thoracicum optume ac perſpicue intuebamur. Meſenterium ſanum; peritonaeum & ueſica fellea a continua ſeri hydropici lotione albisſima; iecur & lien praeternaturali magnitudine gaudebant, ſcirrho obſtipata; renum cauitates inſigniter dilatatae, ceterum ſani; in ouariis uariae hydatides, ſanguine partim, partim ſero, partimque ſpiſſa materie fuſca repletae. Serum tandem, poſt mortem eductum, tenue erat & inodorum, ac limpidum, ſubtili ſapore alcalino praeditum. Reliqua naturali indole conſtructa adparebant.

Sed reuertor in uiam, hiſtoriam, cuius gratia haec ſcripſi, propoſiturus.

Anno 1735. *d.* 4. *Febr.* (*luna creſcens*) eccleſiaſtes de filioli ſui octennis ſtatu haec conſilii gratia ſcribebat: filius meus aliquot abhinc ſeptimanis ualetudinarius euaſit. Quinam ipſius morbus ſit, de-

detegere primum non licuit, niſi quod pomeridianis horis leni hactenus febre uexatum obſeruarim. Quo facto, abdomen, pedes ſenſim, ac ſcrotum, quod ultimum a copioſo liquore diſtentum inſigniter ante aliquot dies ſplendebat, intumuerunt. Dictarum quidem partium hydrops, ſolius ope naturae, per frequentiorem ſcilicet, ac ſpontaneam diarrhoeam, ſemel antea ceſſauit, ſed iam, decreſcentibus praeter ea uiribus, rediit. Cibos auide ingerit, qui tam diu uarias ipſi moleſtias creant, donec omnia per uomitum reiecta ſint. Pulſus mihi praeternaturalis, & inquietus ac inconſtans uidetur. Circa ueſperam facies quoque tumere incipit. Somnum placidum ac egregie reficientem denotaui. Vomitu praegreſſo, de punctoriis ſub axilla ſiniſtra doloribus conqueritur. Neque minus rubrae interdum maculae in pedibus, cito tamen euaneſcentes, erumpunt. Tanta quoque ſiti torquetur, ut quotidie ad minimum octo infuſi theae, aut coffeae, aut tenuis cereuiſiae, libras praecipiti hauſtu deuoret. Cui potui ad uentriculi robur augendum non numquam parum uini admiſceo. Haec ille. Indicationes, per ſe claras, peritus ex hiſce praeſcriptis iudicabit.

Rec. Cort. Peruu. unc. ſem.
Rob. ſamb. unc. un.
Syr. cort. aurant. unc. iv.

M. D. mane hora 8. & ueſperi *hora 9. tria* quatuorue cochlearia parua.

Rec. Tinct. Tartar.
antim. acr. ana unc. ſem.
eſſ. ſuccin. dr. j.

 M. D.

M. D. hora 11. antemerid. & 5 pomerid. 20 guttae.

Rec. Extr. cathol.
Reſin. Jalap. ana ſcr. 1.
Caſtor. opt. ſcr. ſem.
M. f. l. a. ex ſcrup. 1. pil. 15. conſp. ſem. lycopod. D. 6. alterna ueſpera.

D. 22. *Febr.* (*nouilunium*) ipſe ad aegrotum uocabar. Tumque mater, puerum ante tres annos, praegreſſa corporis in aërem frigidum expoſitione, per trimeſtre ſpatium, diarrhoea, lienteria, ac fluxu hepatico tentatum fuiſſe, referebat. Quibus tandem uiolentis alui ſolutionibus calidi ope fomenti, ex ſale ac pane toſtis, caryophyll. aromat., & aniſo parati, cuique ſpiritum uini ſaepius adfuderat, & abdomini per octiduum impoſiti, ſedatis, febrem quartanam intermittentem, ad hoc usque tempus durantem, non numquam tamen per hebdomadem fugientem, adceſſiſſe. Quoties uero durum illum in abdomine, illiusque praeſertim ſiniſtro hypochondrio, tumorem, noſtratibus placenta frigida (Kalter Kuchen) dictum, cum pingued. gallinac. & lepor. inunxiſſet, toties emollita duritie, febrem reuerſam eſſe, commemorabat. Ad haec, poſt nuperorum uſum remediorum, quadrantem horae puer minxiſſe ferebatur. Scrotum, antea prae copioſa lympha pellucidum, & penis ſumme tumidus, aquoſus, rigidus, iam aliquantum detumuerant. Ex ſcroti praecipue poris humor ſcaturiens, ſumta d. d. 4. Febr. medicina, foras quaſi per filtrum, minimarum ſpecie guttularum, transſudauerat.

Jam uero praeter ea haec aderant ſymptomata: ſitis magna; eo die, quo non purgabat, nauſea,

quae

quae tamen, aluo ſoluta, cedebat; narium frictio; lotium tenue, aquoſum; omni ueſpera genae, manus, pedes, maiorem in modum intumeſcebant, generatim tamen hydrops iam decreuiſſe uidebatur; non numquam in ſomno pauor; liuidus circum labia circulus; inter alui excrementa frequentes particulae, inſtar albuminis ouorum cocti, reperiebantur, quas, quum non uiderim, nidos ac filamenta lumbricorum mortuorum credo.

Parentum neglectu ab aliquot diebus medicamentis carebat, nec prius, quam *d.* 27. *Febr.* remedia d. d. 4. Febr. repetebat. Vnde ratio eorum peti poteſt ſymptomatum, quae pater ad me perſcribebat: filioli mei morbus idem; an creſcente luna adfluxus humoris auctus? Heri media in phalange indicis dextrae manus inſignes dolores ſentiebat, ſubitaneo cum digiti tumore, qui tamen adhibito fomento communi calido, relicta rubra rotunda macula, euaneſcebant.

D. 3. *Martii* (*luna creſcens*) haec rurſus ille: filii pedes ac ſcrotum maxume tument, quid? quod hoc tantam in magnitudinem diſtentum eſt, ut in ſella ille ſedere amplius nequeat; adpetitus bonus, ſomnus aegro dulcis; paucis abhinc diebus magnum in digitorum phalangibus pruritum moleſtum expertus eſt; quando aluo purgatur, excrementa tandem alba, ſaponis inſtar albi, euadunt, acutisque tum uexatur torminibus. Remedia priora d. d. 4. Febr. continuanda curabam.

D. 9. *Martii* (*plenilunium*) haec ille: heri ac nudius tertius aqua e ſcroto & cole per urinam omnis effluxit, ut uterque naturalem iam ſtatum recuperauerit; pedum quoque tumor paullatim decreuit;

uit; ſenſibilis perſpiratio deficit; lotium colorem habet inſtar uini albi gallici, cum duabus aquae tertiis permiſti; uires adcreſcunt; bene comedit & dormit; praecipue uero hora ſeptima matutina adpetitus urget.

Continuationem pilularum ac electuarii d. d. 4. Febr. iubebam, quibus, ut partibus maiorem forte tonum conciliarem, praeſertim quum hydrops in decremento esſet, hanc esſentiam, illius d. d. 4. Febr. loco, iungebam:

Rec. esſ. ſuccin. c. alkal. unc. ſem.
tinct. uitriol. mart. tartariſ. Ludov. dr. III.
ol. gumm. kikekunemalo dr. I.
M. D. ter de die 16. guttae, ſuperbibendo qualibet uice uncias duas uini albi gallici.

D. 13. *Martii* (*luna decreſcens*) eadem prorſus morbi conditio; esſentiae tamen d. d. 9. Martii uſum nauſea ſequebatur. Vnde, iuſtum depletionis aquarum gradum nondum adesſe, concludebam, primamque d. d. 4. Febr. repetendam curabam.

D. 17. *Martii* (*luna decreſcens*) haec pater: morbus filii mei haut multo melior; mens magis hilaris, ſed pedum tumor maior euadit; nocte fortis & ſicca tusſis. Continuationem remediorum conſuetorum iubebam, tusſique ſiccae, a frigore prouenienti, obuiam iturus, dabam:

Rec. masſ. pil. de Styrac. gr. VI.
f. pil. pondere unius grani, conſp. pulu. lycopod.

pod., ſumat aeger,
urgente tuſſi, decubitus tempore, unam.

D. 22. *Martii* (*luna decreſcens*) haec pater: pedum tumor decreſcit; reliquus morbus idem; *uide d.* 9. *Martii*; remedia ſolita.

D. 3. *Aprilis* (*luna creſcens*) haec idem: paucis abhinc diebus omnis pedum tumor abfuit: iam iterum augetur, licet in tantam, ac ſaepius antea factum fuit, molem non excreſcat; bona ciborum ingeſtio, digeſtio; ſitis naturalis; totum fere diem e lecto iam conſumit; decumbens autem, manusque ſub ſtragulo abſcondens, digiti adeo feruent, ut muro eosdem, frigoris cauſſa, adplicare debeat. Remedia d. d. 4. Februarii, uidelicet electuar. & pil., esſentiam autem d. d. 9. Martii continuandam ſuadebam.

Quibus etiam fiebat, ut, (*luna decreſcente*,) elapſis quatuordecim diebus, perfecta ſanitate donaretur, qua adhuc, quadriennio poſt, fruitur.

SCHOLION.

Notaui lunae motum, ut adpareret, an motus hic mutationem quandam hydropicis inducat. Hacce ex obſeruatione hypotheſis illa confirmatur, ſi omnia rite penſitantur: relationes enim ſemper tempus proxume antecedens ſpectant. Et ſane admodum ueroſimile hoc phaenomenon uidetur, quum in uerminoſis aegrotantibus, neque minus in multis piſcibus, atque teſtaceis animalibus,

bus, res extra omnem dubitationis aleam poſita ſit. Cuncta ſiquidem haec animalia, conſeruata anni temporum proportione, creſcente luna creſcere, decreſcente decreſcere, ac modo pinguiora, modo macilenta magis fieri, liquido apud maris adcolas conſtat.

Simul quoque egregius corticis Peruuiani in hydrope uſus illuſtratur, modo ſufficienti quantitate, longoque temporis decurſu in uſum uocetur. Tantum enim abeſt, ut noſter uiſcerum labem metuere debeat, ut potius, quum antea febribus uariiſque aliis puerorum morbis uexatus ſit, nunc tam uegetam corporis animique conſtitutionem, qua numquam antea gauiſus erat, nactus fuerit.

Quam male cortex hic adſtringentibus a quibusdam adnumeratur? ſane, ſi adſtringeret, idem initio morbi, quod esſ. de d. 9. Martii, effeciſſet.

An uermes inteſtinorum morbo huic generando cauſſam cum aliis ſuppeditarunt?

Quae cauſſa, quod tumore hypochondrii ſiniſtri duro praeſente, febris cesſauerit, abſente redierit? *uide d. 22. Februarii*, & qualis huius μεταςάσεως operatio? Nonne omenti ultima uaſa capillaria, in glomeres contexta atque conuoluta, amiſſo potiori pinguedinoſo calore, obſtipantur, indureſcunt?

Vnde tandem dolores, pruritus, ac calor inſignis in digitorum dextrae manus phalangibus ortum habent? *conf. d. 27. Februarii, d. 3. Martii, & d. 3. Aprilis.*

E corroborantibus martialia non niſi in fine morbi locum habere, ne nouus humorum confluxus

fiat,

fiat, patet ex iis, quae *d.* 13. *Martii*, ac *d.* 3. *Aprilis* dicta ſunt.

His pauca haec corollaria ad finem ſubiicere licebit:

1. Hydropi maculae ſcorbuticae in artubus frequenter iunguntur.

2. Poſſunt a uermium morſu neruoſi plexus irritari, horum faſciculi contigui, etiamſi ab inuicem longisſime remoueantur, in conſenſum trahi, & excitato in glomeribus eorum ſubcutaneis motu premente uibratorio, ſanguis in ultimis emisſariis arterioſis compingi, atque macularum rubrarum, aut fuſcarum ſpecie in conſpectum produci.

3. Quo magis glutinoſus in hydropicis ſanguis exſiſtit, quoue maior acrimonia ſalino-muriatica: eo auidior ac noxior ſitis.

4. Vbi maior uis ſanguinis, quam uaſorum: ibi frequens potus humores non diluit, neque reſoluit, ſed canalium uim elaſticam adhuc magis labefactat. Quod eos animo uoluere uelim, qui aegrotis ſuis, ſine ullo diſcrimine, in omni fere morbo, miram poculorum aquoſorum copiam commendare ſueuerunt.

5. Quam neceſſe eſt, humores in hydropis omni ſpecie disſoluere & attenuare: tam neceſſe eſt, mox principio priſtinum uaſis robur conciliare. Sapienter canonem hunc hodiernorum complures medicorum ſtabilire conati ſunt.

6. Neglecta hac (*num.* 5.) regula, inſulſe purgantia hydropicis dabis, quorum nimio uſu id, quod aderat in tubo inteſtinali, roſcidae tenuisque lymphae, inmature expellitur, & ſanguinis reliquiae uiſcidiores redduntur.

OBSERVATIO XXVII.

ANASARCA, HYDROCELE, PRAEGRESSA QVARTANA, IN PVERO XII. ANNORVM.

PErgam ad alteram hiſtoriam hydropis uerminoſi, e quartana intermittente ortum trahentis, cui idem cortex Peruuianus, diuerſis temporibus exhibitus, & noxius fuiſſe uidetur, & ueram utilitatem adtulit. Utra ex his poſitionibus ueritate nitatur, liquido conſtabit, ſi, quod iure meritoque fieri poteſt, conuenire uelimus, eum, qui ante aduentum meum aegrotanti porrectus fuit, corticem, nimis parca doſi, quae iuſtum partibus robur conciliare impar erat, oblatum, non tam hydropi gignendo cauſſam dediſſe, quippe quem aliunde *(a.)* deriuare oportet, quam potius

(a. Ex elatere fibrarum nimium relaxato, & ſanguine, ac reliquis, ex eo promanantibus humoribus, nimis uiſcidis. *Conf. obſeruat. praeced. principio.* Quam theſin iis memoriae mandandam relinquere uiſum eſt, qui temerario, impetuoſo, & praecipiti zelo agitati, confeſtim uni cortici adſcribere malunt, quando e quartana intermittente, cui cortex oppoſitus fuit, alii morbi oboriuntur. Quaſi is unicus ſolusue morbus eſſet, qui a metaſtaſibus, ad alia corporis noſtri loca dirigendis, inmunis ſupereſſe ualeret? Quaſi uero ante inuentum corticem nulla quartana in aliam aegri-

tius ob explicatam rationem iuſto debiliorem exſtitiſſe, qui hydropem auertere, febrimue e medio tollere ualuiſſet. Quodcumque enim remedium, per ſe bonum, ἀμεθόδως propinatum, morbum eodem in uigore relinquere poteſt, unde uariae haut raro aliae nouaeque aegritudines enaſcuntur: ex hoc autem fundamento concludere non debeo, medicamentum illud, quod primo morbo oppoſitum fuerat, anſam nouis ſubſequuturis morbis ſuppeditaſſe. Logici adpellant falſum hocce ratiocinium fallaciam non cauſſae ut cauſſae; & alibi demonſtratur in regulis philoſophicis, poſſe in uno eodemque ſubiecto eodem temporis momento diuer-

aegritudinem commutata fuisſet! Sed ea, proh dolor! per animos hominum iſtorum opinio peruaſit, ut illud, quod uel ex magnitudine morbi inſuperabilis, uel ſaepenumero e peruerſa, corticem praeparandi aut exhibendi methodo adcidit, confeſtim omni generatim cortici tribuant, ipſi uerae ac ſimplicis illius methodi ignari, quam inſtar omnium illuſtr. WERLHOFIUS *obſeruat. de Febribus* aeque concinne, ac erudite enucleauit. Reiectis enim tot arcanis febrifugis, quae ſola philargyrorum iſtorum, honeſti nomine medici haut dignorum, inexplebilis auaritia excogitauit, ſimplex, liber, ſufficiens, & oportunus Chinchinae continuatus uſus cuncta alia, quoquo ſuperbo etiam titulo inſigniantur, bonitate ſua antecellit. Vt adeo uerius candidiuſue uix quidquam illo dici poſſit, quod idem magnae fidei WERLHOFIUS, fautor ac amicus honoratiſſimus, nouisſimis in litteris poſt uaria alia de cortice ad me ſcribebat; inquiens: „Pour moi, qui ne „ ſai point vendre des ſecrets & du vent, je le don- „ ne librement & ſans voile, à qui bon me ſemble, „ ſelon la methode & les indications, que j'ai detail- „ lées publiquement, & je m'en trouve bien. „

O

diuerſos effectus actionesue concurrere, quum tamen alter alterius cauſſa non ſit.

Erubeſco ſane, dum talia, quae in ſcholis tractantur, uiris, qui haut uulgarem non raro inter eruditos locum adfectant, obmouenda fore uideo. Sed ſubtilibus ſubtilia; crepundiis puerorum puerilia argumenta conduount: Sapienti ſat. Reuertor in uiam, a qua me corticis iuſtus amor paullulum abduxerat.

Viuaci ingenio praeditus & alacris puer, duodecim annorum, duro uitae generi ab incunabulis adſuetus, & natus ex matre, quae hydrope ante biennium deceſſerat, *auctumno* 1736. in continuam, tertianam, duplicem, ab aëris pluuioſa, ac auſtrina intemperie, epidemiam febrim incidebat, quae, adhibita ab alio medico medela, in quartanam intermittentem terminabatur. In uſum uocato, quod poſtea explorabam, electuario ex Peruuiano cortice, aliisque uarii generis medicaminibus, eo tandem *medio Septembris* res cadebant, ut pedibus tumentibus, in quibus digito impreſſa fouea ſubſiſtebat, mox femur, ac denique ipſe uenter, & ſuperiores quoque partes aquam permultam intercutem reciperent. In primis uero ſcrotum tam inſigniter extendebatur, ut neque ſtare, neque cubare puer ualeret. Adplicata uaria fomenta humida, uinoſa, calida, nil aliud efficere uidebantur, niſi ut, abſorpto per uenas bibulas liquido eorum tenuiori, tumor in dies magis adcreſceret.

Quibus omnibus *fine Septembris* tuſſicula, ac pomeridianis potiſſimum horis reuertens febris lenta, mag-

magnaque ſitis, uigente tamen adpetitu; iungebantur.

D. 1. *Octobris*, ego uocatus, relata praeter ſymptomata, haec adhuc animaduertebam. Inſignis ac perpetua ad ſomnum procliuitas; frequentes in eodem pauores; pro uario aegrotantis ſitu huc illucue ruentis, in abdomine copiam, adeo uentrioſus extumebat, ut ſuapte ſponte in lecto ſeſe erigere nequiret; graues praecordiorum anguſtiae; reſpiratio oppreſſa, anxia; membrorum rigor inſolitus; mentis hebetudo; linguae tanta inmobilitas, utfere nihil eloqui ualeret, in qua tamen nullus tumor, ſed grauis tantummodo torpor, quo mediante muſculorum; illius radicem commouentium, actio refraenabatur, adparebat.

Recitabo formulas in dierum ſerie praeſcriptas, & quando neceſſe uiſum fuerit, medicaminum effectus referre, illos ubique interſpergam.

Rec. Tinct. antim. tartariſ. dr. ii.
 eſſ. alexiph. Stahl. dr. 1.
 ſpir. C. C. ſcr. 1.
M. D. omni bihorio 30. guttae.
Rec. Hb. abſinth. manip. 1.
 bacc. iunip. dr. iii.
inc. conſ. gr. m. includantur ſacculo, quo ſicco ſaepe calefacto ſcrotum foueatur.

D. 2. *Octobris*:
Rec. Merc. dulc.
 rad. Jalap. reſinoſ. ana ſcr. ſem.
M. f. c. elix. propr. ſine acid. pil. pond. ſeſ-

 qui-

quigrani, ſumatur hac ueſpera, & ſequenti mane, qualibet uice, dimidia portio.

D. 3. *Octobris.* Aluum aliquoties exonerans, binos lumbricos praelongos excludebat. *Pomeridie* uſum eſſ. d. d. 1. Octobris continuabat.

D. 4. *Octobris* (*nouilunium*) morbum fortius adgredi adlaborabam. Neque enim contentus, ut uires diuretici remedii intenderem, magisque efficacem ſcroto admouendum curarem fotum, lentae inſuper febris progreſſum impedire, uel etiam, ſi fieri poſſet, penitus eamdem ſupprimere ſatagebam.

Rec. ſal. culin. decrepit. ſiccisſ. unc. viii.

quod calide, linteamini incluſum, ſcroto quaquauerſum circumponatur, & quoties madere, aut frigeſcere incipit, denuo exacte ſiccetur, caleſiat, adplicetur.

Rec. Tinct. ſal. tart. dr. iii.
liqu. C. C. ſuccin. dr. 1.
M. D. reciproce cum ſequenti eclegmate, omni bihorio 40. guttae.

Rec. Cort. Per. unc. ſem.
Rob. ſamb. dr. 1. uel q. ſ.
Syr. ſacch. unc. 11. ad iii.
M. f. linct., lambat ſingulis bihoriis duo cochlearia parua.

D. 16. *Octobris* febris egregie inminuta; ſcrotum quoque decreſcens. Attamen latere uermi-

noſi

noſi quoddam adhuc ratus, hoc uentrifluum medicamentum propinabam:

Rec. Aethiop. mineral. gr. xii.
Merc. dulc. gr. viii.
al. gummoſ. gr. vi.
Vitriol. mart. gr. iv.
M. f. pil. pond. gr. 1. ſem. cum elix. propr. ſ. acid. q. ſ., conſperg. ſem. lycopod., d. hoc ueſpere pars dimidia, totidemque altero mane.

D. 8. *Octobris*, quum heſterna luce ſedibus caruiſſet, miratus ſegnitiem aluinam, ſequentibus duabus formulis coniunctim cum primis pilulis agentibus, ter demum fecibus excluſis, quatuor magni ſimul lumbrici exitum inueniebant. Ceterum hydrocele prorſus aberat.

Rec. Aloës pur. ſcr. ſem.
f. c. mell. deſpum. q. ſ. ſuppoſitor., mane hoc ſtatim recto inmittendum inteſtino.

Quo infixo, aluo nondum uacuata, hoc, elapſo trihorio, ſubiungebam:

Rec. Esſ. Jalap. dr. 1., in qua ſexta pars reſinae.
D. omni trihorio 20. guttae, cum regimine, donec ſphincter recti fuerit inteſtini ſuperatus.

Veſperi electuarium d. d. 4 Octobris repeti iubebam.

D. 11. *Octobris* hac ratione tincturae uſitatae uires adaugebam:

Rec. Tinct. ſal. tart. dr. iii.
liqu. C. C. ſuccin. dr. ii.
M. D. omni bihorio, reciproce cum uſuali electuario, 40: guttae.

D. 12. *Octobris* reiter. elect. d. d. 4. Octobris.
D. 16. *Octobris* reiter. tinctur. d. d. 11. Octobris.
D. 18. *Octobris*:

Rec. Reſin. Jalap. ſcr. ſem.
Mercur. dulc. gr. xii.
M. f. pil. 15., quibus adſumtis ſemel purgabatur.

D. 19. *Octobris* (*plenilunium*) reiter. elect. d. d. 4. Octobris. Tumor hydropicus fere omnis iam abeſſe uidebatur. Haerebat tamen quaedam omnium partium immobilitas adeo, ut obambulans, rigidos & extorpeſcentes artus ſemper diſtractos procul a corporis trunco teneret. Durum quoque & diſtentum hypochondrium ſiniſtrum, ac uoracitas.

Admodum tarda porro aluus; quam, collatis a ſuperioribus purgantibus excitatis effectibus, hisce *d.* 22. *Octobris* magis apertam reddere conabar.

Rec.

Digitized by Google

Rec. Aloës gummoſ.
Mercur. dulc. ana ſcr. i.
M. f. pil. n. 30., dentur ueſperi 12., ſequenti mane 10. Exhibitae autem omnes ab incautis adſtantibus fuerant. Nulla tamen ſedes.

Proxuma itaque *die* 23. *Octobris* hoc dabam:

Rec. Pulu. rad. Jalap. reſinoſ. ſcr. iv.
Merc. dulc. ſcr. ſem.
ſyr. ſacch. dr. iii.
de cich. c. rh. dr. ii.
M. detur ſtatim, cum regimine, ſuperbibendo ſcilicet, elapſa hora dimidia, infuſi Theae &c. q. ſ.

Veſperi adcedens, ter uomitum ſequutum, nullam tamen ſedem, relatum audiebam. Quare ut decoctum tenue auenaceum biberet, praecipiebam. Sed uix duae horae peractae, quum reuocatus, puerum epilepticum deprehenderem. Quibus perſpectis, merito, effectum hunc eſſe lumbricorum, a purgantibus adflictorum & cruciatorum, adeoque neruulos inteſtinorum morſibus ſuis acriter uellicantium, concludens, quem in aliis ante iam obſeruaram, anxios adſtantes ſecuros eſſe iubens, hanc miſturam offerebam:

Rec. expreſſ. millep. ſimpl. Fuller. unc. iii.
liqu. C. C. ſuccin. dr. 1.

M. capiat ſingulis horis unc. ſem.

Qua bis adſumta, a graui hocce malo liberabatur.

D. 25. *Octobris* uermibus haec opponebam:

Rec. Ungt. arthan.
neruin. ana unc. I.
fell. taur. inſpiſſ. dr. iii.
aloës pur. dr. I.
M. f. l. a. ungt., quo abdomen bis in die calide inungatur.
Rec. Ol. Heracl. Ruland. unc. ſem.
D. omni bihorio 20. guttae ex hauſtu pluuiae.

Nouembris I. *die* uiſurus, an non iam melius purgantia operationem ſuam in rigido illo corpore exſequutura eſſent, hoc praeſcribebam:

Rec. Aloës pur. ſcr. I.
Mercur. dulc. ſcr. ſem.
M. f. pil. ex ſcr. I. num. 12., conſperg. flor. ſulphur., dentur hac ueſpera. Sed nihil praeter aluum quotidie ſemel apertam abinde experiebatur.

Quare quum uires bonae apud puerum eſſent, nihilque de praeterito morbo, niſi ſuperius commemorata partium rigiditas & aliqualis inflatio abdominis

dominis reſtaret, neque tamen concipere poſſem, cur nondum inſignis illa alui tarditas ablata eſſet, ſatius ducebam, ab exhibito emetico argumentum deſumere, quid forte in primarum uiarum uillis lateret pituitoſi. Elapſo igitur quatriduo, *d. 5. Nouembris (nouilunium)* hoc offerebam:

Rec. Tartar. emet. gr. ii.
ſolu. in
aqu. Cinamom. dr. iii.
add.
ſyr. cort. aurant. dr. ii.
M. d. cum regimine hoc mane.

Quo exhauſto, multum tenaciſſimae pituitae euomebat, atque, ab omni hydropico tumore inmunis, ſequentibus diebus, euaneſcente artuum rigiditate, ad ſenſum ſanus uiuebat, ludebat, adpetebat, digerebat, excernebat.

COROLLARIA.

1. Quam hydroceles ſpeciem in utraque hiſtoria enarraui, anaſarcam ſcroti (*a.*) proprie fuiſſe ſcire licet. Vt enim mentem meam ſuper hoc aegritudinis genus clarius explicem, omnis quidem aquoſus tumor, in uniuerſo ſcroti ſacculo collectus, ſiue ſit *α* inter ſcroti proprie dicti cutim ac

O 5 mem-

(*a.*) *Uid.* Boerhave *aphor.* §. 1227. *n.* 1.

membranam dartos (*b.*) in alterutro latere, per ſuturam diſtincto (*c.*) aut utroque, uel in celluloſa (*d.*) interioris ſcroti ſuperficiei membrana, uel in retibus ipſis membranae dartos (*e.*), uel in celluloſa (*f.*) concauitatis dartos, uel in celluloſa aponeuroſis ligamentoſae, quae a membrana dartos ad urethram pertingit (*g.*), & hydropi penis uiam ſternit, uel in duplicatura membranae, quae epididymides cum teſticulis coniungit (*h.*) uel inter rete carnoſum muſculi cremaſteris (*i.*) uel inter hunc & uaginalem teſtium tunicam (*k.*), uel inter albugineam & ipſam teſtium ſubſtantiam (*l.*) &c.;

Siue β. in ſacco dilatatione proceſſuum annulorumque peritonaei formato (*m.*), uel in uagina uaſorum

(*b.*) WINSLOW *expoſit. anatom. Volum. IV.* §. 493. 494. 498. GARENGEOT *Splanchnolog. cap.* 15. §. 18. 19.

(*c.*) WINSL. *l. c.* §. 495. 499. 500.

(*d.*) WINSL. *l. c.* §. 497.

(*e.*) IDEM *l. c.* §. 498. 501.

(*f.*) WINSL. *l. c.* §. 501. 502. Hinc GARENGEOT *l. c.* §. 19. hydropis ſcroti, tamquam per filtrum conflati, meminit.

(*g.*) WINSL. *l. c.* §. 503., qua de ill. MORGAGN. *aduerſ. anat. I.* §. 18. *p. m.* 40. *ſq.*, & ex eo GARENGEOT. *l. c.* §. 20. 21. mentionem iniiciunt.

(*h.*) WINSL. *l. c.* §. 490.

(*i.*) IDEM. *l. c.* §. 518. 521.

(*k.*) IDEM. *l. c.* §. 515. 517. 522. GARENGEOT. *l. c.* §. 22.

(*l.*) WINSLOW. *l. c.* §. 483. 484. 486. GARENGEOT. *l. c.* §. 23. Hiſce de omnibus ſpeciebus per compendium differentem uid. BOERHAAVE *aphor.* §. 1227. *n.* 1. & 3.

(*m.*) *Conſ.* BOERH. *l.* & §. *cit. n.* 2.

Digitized by Google

ſorum deferentium (*n.*) foueatur, uarietates tantum locorum, in exiguo ſpatio ſitorum, efficit, adeoque generali nomine hydropis ſcroti, aut uniuerſalis, aut particularis, deſcribi debet. E qua theſi, fundata in anatomicis aeque, ac practicis experientiis fluit, falſo aut ad minimum incongruo herniae aquoſae titulo complures harum ſpecies conſignari in libris cheirurgicis uulgo ſolere. Prout namque uel interiora tantum membranarum interualla, atque has inter obuiae cauitates, lympha replentur, fieri poteſt, ut ipſa quidem ſcroti moles ſenſim excreſcat, attamen rugas ſuas naturales conſeruet; uel in exterioribus cauis inter cutim ſcroti ipſam & folliculis illis muſculoſis, membranae dartos nomine cognitis, aqua coaceruatur, externa ſcroti cutis inſigniter, ac adeo extendi debet, ut pro conditione humorum, magis minusue turbidorum, aut ſpiſſorum, uel transpareat, uel minus, & aut foueas ſolum recipiat, elatere mox recurrente, aut per aliquot minutorum ſpatium impreſſas retineat: ubique nullam differentiam genericam offendes, ſed partialem tantummodo, pro locorum diuerſitate, manente nihilominus eodem morbi genere, eademque humorum collectorum indole aquoſa. Quodſi uero alios plane morbos, huic anaſarcae ſpeciei iunctos, aut ſuperuenientes, u. gr. enterocelen, aut ſarcocelen, cum hac permiſcere, compoſitaque dein uoce hydro-ſarcoceles, uel hydro-enteroceles ſeorſim proponere uolueris, per me licebit, uix tamen logomachiam, aut etiam pleonaſmum cui-

(*n.*) WINSL. *l. c.* §. 505.

cuitabis, dum quilibet morbus compoſitus ſub ſuis ſimplicibus, ſecundum leges bonae methodi, exponi debet.

2. Si medicamentorum externorum, in hydrope anaſarca ſcroti uſitatorum, claſſes facere liceret, in *primo* facile *ordine* ſalem uel marinum, uel culinarem (*o.*) ſicciſſimum, calidum, collocarem, ex rationum ſuperius adductarum (*p.*) ui; in *ſecundo* ponerem omnes uapores calidos, ſiccos (*q.*) calorem foci, furni, arenae, fimi, &c. (*r.*); *tertio* cataplaſmata ſpiſſa, humiditate aquoſa, quantum fieri poteſt, per exhalationem abſumta, & fomenta (*s.*), cum ſpiritu uini, theriacali, matricali &c. impoſita, adſcriberem; *quarto* tandem fomentationes uinoſas diſtribuerem. Quem ad modum enim prima claſſis remedia tradit, quae partim diſſipando, partim attenuando, partimque abſorbendo, adeoque triplici commodo proſunt: ita ſecundus & tertius ordo unum modo ſcopum calefaciendi ac reſoluendi attingunt. Quarti uero medicamenta ordinis plane probare non poſſum, quam diu uerum erit, poſt adplicatas fomentationes uinoſas, quo caloris id etiam exquiſita ac repetita cura peragatur, tantum uaporum a uenis ſcroti bibulis abſorberi, quantum ab emiſſariis arterioſis ſeri hydropici emittitur. Quo magis enim

(*o.*) *Conf.* BOERH. *mat. med. ſect.* 1252.
(*p.*) *Obſeruat. XI.* ſupra, *circa fin.*
(*q.*) Vid. BOERH. *mat. med. l. c.*
(*r.*) BOERH. *aphor.* §. 1248.
(*s.*) IDEM *mat. med. ſect. cit.* 1; conf. D. D. ALLEN *ſynopſ. medicin. pract. cap.* 12. *artic.* 89. 91.

Digitized by Google

nim per roſcidum hunc calorem arteriolas cutaneas aperueris, eo magis uenas bibulas ad reſorbendum humidum uaporoſum, forinſecus adueniens, aptas reddideris; haut aliter, ac quotidie in ſpongioſis corporibus, calore nimio ualde ſudantibus, uidebis, qui eo ipſo tempore, adcedente uel minima in frigus aquoſum expoſitione, plus laeduntur, ac ſi a frigore ſicco tam arteriolae, quam uenae bibulae una occluduntur. In ultimo namque caſu id, quod in arteriolis remanere cogitur ſerum, ſuppreſſa perſpiratione Sanctoriana, tantum coagulatur & lenis quidam horror excitatur, in priori autem non modo idem euenit, ſed nouiter etiam reſorptum peregrinum humidum, circulo ſubeundo nimis craſſum, ac ineptum, maiori gradu ſanguinem condenſat, intenſius frigus inducit, uariasque haut raro diuerſorum generum febres procreat.

3. Extremum in adoleſcente noſtro ſtupiditatis ac torporis gradum miror ſane, qualem antea me uidiſſe, non memini, qui ex inſigni non ſolum tarditate aluinà innoteſcebat, uerum etiam ex difficultate potiſſimum loquelae, memoriaeque, & iudicii inſigni defectu cognoſcebatur. Licet enim omnes fere, qui uermibus uexati, ſanguine ſimul ſpiſſo, pituitoſo praediti ſunt, de torpore quodam neruorum ac fibrarum, lento tardoque ſanguinis circulo, atque crebra ad ſomnum inclinatione conquerantur, raro tamen tantus torporis gradus occurret, quantus in noſtro aegro deprehendebatur. Qualem ſenſuum motuumque plenariam fere abolitionem, aliquamdiu poſt fugatum hydropem adhuc ſuperſtitem, fere apoplecticam

&

& epilepticam diceres, ſi ſtertor, aut conuulſiui motus ſimul adfuiſſent. Commutatum autem malum, medio morbi decurſu, ueram in epilepſiam, abunde comprobat, quanta adfinitate utraque adflictio coniungatur. Perſpici quoque hinc poteſt, non tam uim prementem aquae hydropicae, quam potius uermium uellicationes, in uillis neruoſo-uaſculoſis inteſtinorum capillaribus continuo factas, ac ſanguinem ſumme pituitoſum, lentum atque uiſcidum, eidem torpori utramque manum dediſſe. Quum enim ipſum hydropem idem torpor, longitudine temporis, ceu paullo ante innui, ſuperaret, ab alio fonte deriuandus erit; non tamen propter ea inficias iuero, aquoſae pituitae molem aliquid ad ſtuporis augmentum conferre potuiſſe.

4. Praeſtat, a lenibus diureticis initium capere, indeque ſucceſſiue ad paullo fortiora progredi. Quodſi enim principio ſtatim morbi ultima haec offeruntur, ſanguine nimium agitato, liquidoque tenuiori per urinarias uias expulſo, reliqua humorum maſſa in magis lentum gluten abit, ac tenacius uaſorum tubulis extremis inhaeret. Patet ergo prioris propoſitionis laus.

5. Quando febris intermittentis periodi hydropem comitantur, febre prius in fugam coniecta, hydrops minori moleſtia diſcuti poteſt.

6. Perpendens ſtupendam in puero 12. annorum ſegnitiem aluinam, cui tot acria diuerſae indolis purgantia uix unam ciere ſedem ualebant, noli, quaeſo, credere, quaſi ſalinis cum remediis purgatio tentata non fuiſſet: haec enim plane haerentia, nullum uel minimum in abdomine cruciatum

Digitized by Google

tum, aut murmur excitabant. Et quamuis aliquot infuſi theae, aut auenacei decocti libras ſuperbiberet, omnia tamen irrita manebant, quoniam torpor plus ualebat. In genere aluum heic non ſolues, niſi continuata, ſingulis bihoriis, aut trihoriis, certa eſſentiae ialapae, aut alius ſimilis, quantitate, donec ſemel illa reſponderit. Neque clyſmi, niſi ualde acres, quidquam heic efficiunt. Quum enim ad lumbricos, ſiue uiuos, ſiue mortuos expellendos, complures plerumque ſedes requirantur, raro autem clyſteres plus uice ſimplici uirtutem ſuam exſerant, ac praeter ea e tenuibus inteſtinis nihil educere ualeant: internorum purgantium uſus clyſmorum efficaciam in hoc caſu ſupereminet.

7. Haut meliori ratione medici clinici prudentia cognoſcitur, quam in iis morbis ubi medicamentorum uires & doſes eousque intendi augerique debent, quoad aegroti conditio eas ferre poteſt. Hinc tantus medicaminum generoſorum ac heroïcorum, prouide praeſcriptorum, honos. Sed quanta circumſpectione heic opus!

Digitized by Google

OBSERVATIO XXIIX.

ET

Continuatio obſeruat. praecedentis,

exhibens

FEBRIM TERTIANAM INTERMITTENTEM.

D 16. *Nouembris* idem puer conquerebatur, ſe nudius tertius paroxyſmum febrilem grauem ſuſtinuiſſe, illumque iam iterum adparere:

Rec. Tart. Vitriol.
nitr. pur. ana dr. i.
Solu. in aqu. feruid. unc. iii.
add.
Syr. cort. aurant. unc. ſem.
M. capiat extra paroxyſmum omni *trihorio* cochleare unum.

Quo ſenſim exhauſto, febris euaneſcebat. Sed d. *d.* 4. *Decembris* denuo noua febri adflictus, me adibat. Animaduertebam in ipſum, quod ſuperata priori febri, ſtatim ab omni medicina abſtinuiſſet, atque haec nunc praeſcribam.

Rec. Tart. Vitriol.
conch. citrat. ana gr. xvi.

pulu.

pulu. rad. ari gr. v.
M. S. pulu. D. in ſextuplo, capiat unum extra febrem, reciproce cum eſſentia ſequenti, omni quadrihorio, ex hauſtu uini iunioris albi gallici.

Rec. Eſſ. gent. rubr.
cort. caſcar. ana dr. iii.
M. D. omni quadrihorio, tempore intermiſſionis febrilis, 40. guttae.

Quorum uſum remediorum tertia febris fuga ſequebatur. Ne tamen denuo reuerteretur,

D. 12. *Decembris* dimidiam portionem tam puluerum, quam eſſentiae, ac

D. 16. *Decembris* iterum dimidiam puluerum quantitatem repetendam, addita, loco prioris, hac eſſentia corroborante, curabam.

Rec. Elix. Vitriol. Mynſ. unc. ſem.
Tinct. Vitriol. mart. tartariſ. Ludou. dr. II.
Liqu. C. C. ſuccin. dr. I.
M. hauriat quater de die 50 guttas e uehiculo uinoſo.

Atque hoc tandem pacto integerrima & conſtanti ſanitate donabatur: Vltra triennium enim ab omni adflictionum genere liber uiuit, uegetaque ac lacertoſa corporis mole gaudet.

SCHOLION.

Subiunxi hiſtoriam hanc, in qua alias nihil ſingulare occurrit, ut integram aduerſae ualetudinis, quae noſtrum detinuerat, ſeriem ordine proponerem. Atque poſtremam hanc febrim magis ab aëris iniuriis, quibus laxa nouitii noſtri, poſt tantum ſuperatum morbum, fibrarum ſtructura ferendis adhuc impar erat, quam a ſuperſtite indole ſanguinis pituitoſa, aut uermibus, conflatam concitatamue fuiſſe, uel ex eo ſatis liquet, quod tanta facilitate, tamque breui ſpatio, poſt lenium exhibitionem reſoluentium, e medio tollebatur. Neque reuerſus fuiſſet paroxysmus, niſi remediorum prima uice continuatum per octiduum, aut paullo plus, uſum neglexiſſet.

OB-

Digitized by Google

OBSERVATIO XXIX.

CONTVSIO FACIEI SINISTRAE AB ICTV EQVI.

D. 20. *Auguſti* 1735. Adflicti frater conſilium à me petebat, qui, annum uiceſimum & ſextum agens, teneriori partium conſtitutione gauiſus, heſterna luce ab ictu pedis equini, adcepta partis ſiniſtrae faciei graui contuſione, inflictisque ſimul quibusdam ibidem laeſionibus cutaneis, in graue animi deliquium incurrerat, unde, duabus elapſis horis, ad ſe rediens, aliquoties uomuerat, uertiginoſus euaſerat, iam uero de capitis dolore, partiumque huius internarum huc illucue tenſione ſpasmodica, laeſaeque faciei magno tumore conquerebatur.

Vomitionibus tandem *altero die* ſponte ceſſantibus, nauſea, interni horrores, ac ſpasmi uniuerſales remanebant.

Rec. Esſ. alex. Stahl. unc. ſem.
  ſpir. C. C. dr. i.
  laud. liquid. Syd. ſcr. i.
M. D. omni quadrihorio 30. guttulae.
Rec. Esſ. myrrh. ſ. alk. unc. iii.
D. ad uitrum, calide cum linteis duplicatis; ac leuiter expreſſis imponatur ſiniſtrae faciei.

 Spiritu

Spiritu porro uini forti ac probe camphorato caput ſaepius calide fricari iubebam.

Quibus fiebat, ut altero die nauſea ac ſymptomata febrilia ceſſarent, poſt octiduum uero, uulnuſculis noua cute obductis, integra ſanitas ſequeretur.

Inde haec patent:

1. Quando febres inflammatoriae in uulneratis contuſisue nondum praeſto ſunt, opiata nullum notabilem ſanguini motum conciliare poſſunt, & tum dolores optumo ac laudabili ſucceſſu leniunt.

2. Eſſentia myrrhae, cum bonae notae ſpiritu, & ſine alcalino ſale, parata *(a.)*, recentibus uulneribus ſumme proficua & balſami inſtar uulnerarii exſiſtit.

3. E uertigine uomitus ſymptomaticus ob conſenſum paris neruorum diuiſi cum pari uago fieri poteſt. Qui eo curioſior, quo frequentius uitia uentriculi, uomitum cientia, uertiginem pariunt.

4. Confirmatur ueritas indicationum BOERHAVEANARVM *(b.)* in curatione nimirum contuſi ſemper tentandam eſſe reſolutionem, cauendam ſuppurationem.

O B.

(a.) Vid. BOERHAAVE *Chemiae Tom.* II. *part.* I. *proceſſ.* 57. *p.* 200. edit. Lipſ. in octau.
(b.) *Aphor. pract.* §. 331.

OBSERVATIO XXX.

CONTVSIO PECTORIS & HYPOCHONDRII SINISTRI, AB ARIETATIONE BOVIS.

QVot tragici apud nos caſus a bobus, ſyrio regente mania tactis, excitati tum olim, tum noſtra quoque memoria fuerint, ſatis ſuperque cognitum ciuibus eſt. Qui ipſi uultu demiſſo per campos tum temporis oberrantes, tetro ſuo horridoque mugitu infelices ſaepius ambulatores tam pertinaci greſſu, nil neque latas quandoque foſſas metuentes, inſequuntur, ut, ſpiritu a curſu feſtinato tandem deficiente, delaſſatos in terram praecipites dantes, repetitis arietationibus occidant, aut graues ad minimum periculoſasque iis plagas ac uulnera infligant.

Reuocarunt haec in animum litterae uiri honeſti, rure uitam degentis, 40. circiter annorum, macilenta proceritate donati, qui *ueſperi d.* 16. *Auguſti* 1736. uoluptatis gratia, ut uaccarum mulctui intereſſet, in campum uicinum exſpatiabatur, uerum inopinato impetu a duce illo gregis, lacertoſo nimirum boue, binis adeo uicibus arietabatur, ut ictuum altero infimum pectus circa diaphragma, altero autem, cornu deorſum ducto, totum abdominis ſiniſtrum latus contunderetur. Dubio etiam procul neci datus fuiſſet, niſi ſerui celerrime eum liberaſſent.

 Mox

Mox animi deliquium incurrentem in lecto reponebant, neque, niſi praetereunte feſqui horae ſpatio, ille ad ſe redibat; quo facto aliquot uomitibus exercebatur. Vt autem grauibus, in locis contuſis, doloribus, maiorique inflammationi, ac febri obuiam iret, *ſequenti die* 17. *Auguſti* auxilium meum implorabat. Moderata nempe febri correptus, de nauſea, anorexia, magno partium contuſarum, inflammatarum dolore, ſiti, cephalalgia &c. conquerebatur. Quibus tandem omnibus ingens, isque ſumme dolens ſpasmus, ex hypogaſtrio ſiniſtro oriundus, totumque abdomen percurrens iungebatur, quo fiebat, ut loco ſe in lecto mouere minimarumque in abdomine partium ſitum commutare nequiret. Colorem quoque loca contuſa fuſcum, & ex rubro plumbeum nacta fuerant.

Rec. Eſſ. pimp. alb. unc. ſem.
ſpir. nitr. dulc. dr. ii.
laud. liqu. Sydenh. ſcr. I.
M. D. omni bihorio 50. guttulae, e conuenienti uehiculo.
Rec. Rad. lil. alb.
olſenit. ana unc. ſem.
hb. mercurial.
fiſtular. ana manip. I.
flor. arnic. manip. ſem.
Inc. minut., coquantur cum ſuff. quant. aquae ſimpl., cui feruidae intinctus pannus laneus, longis pilis hirſutus, fortiterque expreſſus, tum duplicatus, contuſis partibus calide imponatur

natur, & quoties friguerit, decocto calefacto denuo immergatur, exprimatur, adplicetur.

D. 19. *Auguſti* haec litteris referebantur: mitigatus quidem ſpasmus abdominis eſt, ſed nimis me torquent peruigilium, inquietudo nocturna, dolor partium contuſarum, iam forinſecus magis tumidarum, copioſi flatus, & ciborum faſtidium.

Rec. Eſſ. gentian. rubr. dr. vi.
alexipharm. Stahl.
tinct. ſal. tartar. ana dr. iii.
ol. ſtillat. menth.
aneth. ana ſcr. ſem.
M. D. omni trihorio 80. guttulae, ex hauſtu uini.
Rec. Spirit. theriacal. unc. ii.
ſal. ammoniac. uinoſ. unc. 1.
M. D. ſ. ſpiritus pro fomento, calide cum linteis, leuiter expreſſis, membris adflictis adplicando.
Rec. Rad. bryon. alb. unc. ii.
irid. florent. unc. 1.
fol. ſcord.
ſabin. ana manip. 1.
fl. chamaem. rom.
matricar.
roſar. ana pug. 1.
Inc. coqu. leni ebullitione, ſemihorae fere ſpatio; colat. librar. 4. ad 6. intingatur pannus laneus, qui ſupra dicta ratione in uſum uoca-

Digitized by Google

tus, linteaminibus quadruplicatis ſpirituoſis ſuperimponatur.

Febri depulſa, primoque reſolutionis gradu impetrato, fortiora haec reſoluentia locum inueniebant, ac tanto quidem cum ſucceſſu, ut poſt octiduum fere ubique terrarum incedere poſſet, uiuidoque adpetitu donaretur.

E quibus pauca haec commode eliciuntur:

1. Praecaueri in tempore poſſe inflammationem partium contuſarum, niſi magna uiſcera, aut partes aliae profunde corrupta, penituſue deſtructa ſint. Inminuiſſe noſtro aegrotanti inflammationem uentriculi, omentiue, aut coli, docent regio laeſa, ſymptomata ſtatim concurrentia, inmobilitas, dolores conſenſuales, ad alias partes excurrentes, &c.

2. Eximiam herbarum, pro fomentatione cum pannis laneis uſurpatarum, uirtutem, lector aequus perpendat uelim, & iudicabit, poſſe admodum oportune leniter adſtringentia atque corroborantia cum emollientibus, haec uero cum reſoluentibus, ſalutari aegrorum effectu, combinari, ut extrauaſati humores mobiles conſeruentur, ab adiacentibus uenis bibulis reſorbeantur, ſoluta minima ac lacerata, roſcido humidoque calore fota, conſolidentur, &c.

3. Non neceſſe in quolibet contuſo purgantia, principio alias propinanda, fore, niſi ſauciatus ſigna cruditatum, in primis haerentium uiis, prae ſe ferat, aut enarret.

4. Ver-

4. Vertigines animique deliquia ſymptomatica tamdiu continuare debere, quamdiu aequabilis maſſae ſanguineae in cordis thalamis circuitus reſtitutus non ſit, ac tremiſcens & ſucceſſiua fibrillarum nerui optici in retina oculi diſperſarum, agitatio, qua mediante ille deprauatus fallaxque uiſus contingit, durat.

5. Mox intelligi ſpasmum illum hypogaſtrii ſiniſtri, ſi ualidorum ibi muſculorum ſitum, faſciculorum, eos componentium, decurſum, & connexionem cum uicinis conſideremus.

OBSERVATIO XXXI.

CONVVLSIO SEPTI TRANSVERSI.

D. 8. *Julii* 1739. *hora.* 4. *matutina*, piſtor 45. circiter annorum, cholericus, admodum agilis, ſubtilique neruorum ſenſu donatus, ad iracundiam ualde pronus, uaſis ſanguineis magnis ac turgidis praeditus, ſtaturae mediocris, lacertoſo corporis habitu gaudens, quum expergiſceretur, inopinato ſentiebat, ſibi contrahi circum circa & quaquaverſum regionem iſtam, ubi coſtae deſinunt, & abdomen incipit, confeſtim graues dolores lancinantes & rodentes ibi pariter, ac in dorſo, mox ſupra renum ſitum, adcedere, ſecundum longitudinem ſpinae dorſi inſignes ſpasmos oriri, eosdemque ad collum usque extendi, praecordia uehementer angi, ſpiritum

impeditum reddi, & certis interuallis quaſi praecludi &c.

Confeſtim adcerſitus, ſtantem, brachiisque parum incuruato abdominis, at erectiſſimo thoracis ſitu, fornaci incumbentem, inueniebam. Spasmi hi intra dimidium horae quadrantem adeo creuerant, ut neque cubare, neque ſedere ualeret, muſculi, ceruicem erigentes, rigidi euaſiſſent, ac ſudor gelidus ex uniuerſa corporis ſuperficie exprimeretur. Ceterum reſpiratio moderate crebra, loquela naturalis, aſt parum a ſpasmis & doloribus anxia, ſenſus integri, dolor antrorſum ſub ſcrobiculo cordis, & in memorato dorſi loco ingraueſcens, pulſus naturali uelocitate & aequabilitate gaudebat, at paruus & quaſi myurus ſerpebat, artus totumque corpus inſigniter tremebant, uultus anxius, foede pallidus, huius & artuum extremorum calor remiſſus, in trunco corporis moderatus. . . .

Quod ad cauſſas occaſionales praegreſſas adtinet, aër ſudus, ſubſerenus, tranquillus erat, uentus S O, nubes tonitruales; neque ira, niſi ante quatriduum mediocriter, excanduerat, neque ueſpera proxuma multum comederat, niſi fruſtum panis butyro illiti, cum coctis aſtacis paruis marinis, cruſta tranſparente donatis, uulgo *garnabten* heic locorum adpellatis; aluus quoque bene aperta; neque ulla abdominis inflatio, aut nauſea, aut incommodum ullum a flatibus, aut ſapor aduerſus in ore, aut borborygmi. A biennio ſaniſſimus fuerat, aliquoties alias ante hac breuibus, ſed uiolentis tentatus morbis, tuſſi conuulſiua, pleu-

pleuripneumonia, doloribus uehementibus colicis, cardialgicis, &c.

Nulla igitur, haec omnia exacto iudicio perpendens, cauſſa adeſſe poterat, praeter ſuppreſſam perſpirationem, adiuuante parumper ſtimulo in ſtomacho latente bilioſo, ab ira praegreſſa profecto. Quum enim heſterna luce binis uicibus furnariam exercuiſſet, computato aëris intenſo aeſtu cum furni calore, & graui corporis motu, in largo ſudore conſtitutus, lectum hora 9. ueſpertina petens, inter dormiendum, quoniam natura ſua ualde impatiens erat, ſtragulum lecti ſuperius forte remouens, thoracem, & epigaſtrium, ac hypochondria, frigori nocturno expoſuerat, unde ſudor ſubito repulſus, expoſitam aegritudinem adlicuerat. Dico, ſuppetias tantum remotas iram tuliſſe, quoniam a triduo animus iterum placidus erat.

Adſueto annuae ſanguinis miſſioni, quam hoc uere neglexerat, & ideo ante aliquot ſeptimanas uertiginoſis uibrationibus, cito tamen euaneſcentibus, uexato, ſuadebam uenae ſectionem, praeſertim quum uaſa ſanguifera, alias magna & turgida, prorſus in cute abſcondita nunc laterent, ac pulſus paruus exſiſteret. Oppreſſo enim, a neruoſa partium adflictarum contractione, ſanguinis circulo, grauiores ac ſubitaneos morbos in corpore adeo ſenſibili formidans, ſyncopen puta, ſingultum funeſtum, &c., utique ſufficiens cruoris per uenam emiſſi detractio tam pleniorem ac robuſti-

buſtiorem pulſum reſtituere, quam remediis ſubjungendis magis liberum in maſſam ſanguineam introitum, & cum ea circumactionem, conciliare debebat.

Hora igitur *quinta matutina* e largo ſiniſtri brachii uulnere uncias decem emittens, praecipiebam, ut periculum profundioris ſenſim ſpiritus ducendi, durante ſanguinis e uena pertuſa fluxu, ſaepius faceret, cuius tamen ſymptomatis nullam adhuc remiſſionem animaduertere poterat. Occluſo uenae uulnere, colli rigiditas aliquantum relaxabatur; reliqua usque adeo phaenomena decreſcere uidebantur, ut in lecto, quamuis haut absque graui incommodo, & erecto corporis ſitu, decumbere ualeret. Reſtabat iam, ut remediis morbum adgrederer, quae calefacientia, diaphoretica, ac reſoluentia, ea quidem ex cauſſa, ſeligebam, ut tranſpiratione inſtaurata, inſignem illum ſpasmum, quum nulla febris ſigna deprehenderentur, diſcuterem.

Rec. Expreſſ. millep. ſimpl. Fuller. unc. i. ſem.
ſpir. C. C. dr. i.
Ol. menth. ſtill. ſcrup. ſem.
ſyr. de poeon. dr. vi. uel q. ſ.
M. D. omni ſemihora drachmae tres.

Quater intra bihorium hac adſumta doſi, nullum intus calorem a medicamine introductum obſeruabat, quin omnia potius eodem gradu permanebant.

Hora

Hora 6. matutina aluus ſponte aperiebatur.

Hora 7. matutina cruorem intuebar, quem e ſaturate coccineo nigricantem, ſpiſſum, pituitoſis ac tenacibus moleculis ſparſim refertum, inueniebam. Ac ille quidem, qui primum effluxerat, nullum, alter uero, ſub finem emiſſus, copioſum, ſubflauum ſerum innatans fouebat. Pulſus parum plenior quamuis redderetur, conuulſio tamen tantillum iterum adcreſcere uidebatur. Quod emolliendi ſcopo decoctum tenue auenaceum ſuaſeram, ſemel euomebat, ſine ulla tamen dolorum, aut ſpasmorum inminutione, ullaue uel antecedente, uel ſubſequuta nauſea. Proinde exterius adflictam regionem balneo uaporis roſcido, attenuante, discutiente fouere oportunum cenſebam:

Rec. Rad. Olſenit. unc. I.
hb. malu. manip. iii.
fl. chamaem. rom.
matricar. ana manip. I.

Coquantur ſpecies conſciſſae in libris ſex, aut quantum ſufficit; aquae pluuiae, iisque leniter ebullientibus, intingatur pannus laneus hirſutus, qui fortiter, & ad ſiccitatem fere, expreſſus, duplicatus, toti regioni imponatur, cui ſeptum tranſuerſum contiguum exſiſtit, renouando laborem, quoties frigeſcere pannus inceperit.

Hora 8. antemeridiana omnia priori indole perſiſtebant. Quare uncias duas olei oliuarum recentis

tis deglutiret, atque poſt horae ſpatium, priorem potionem repeteret, iniungebam.

Hora 11. *antemeridiana* ſpasmus tandem remiſſior, ſpiritus liberior fieri, ſudor largus erumpi, dolores parum inminui uidebantur. Continuato propter ea tum balneo uaporoſo, tum potione interna, quietus in lecto ſudorem, quantum fieri poſſet, conſeruaret, auctor ipſi eram.

Veſperi omnia mitiora, pulſus modice plenus, mollis, aequalis; membrorum tremor fere idem, qualis matutinis horis; ſupererat aliqua tenſio adhuc in regionibus, ſepto transuerſo contiguis, ac dolor quaſi lacerans, ſeorſim in iis locis, quibus uentriculi orificia inſunt. In conclaui parum obambulaturum, confeſtim uertigine correptum, lectum repetere oportuerat. Adhaec binis *circa horam* 6. *pomeridianam* uicibus infuſum theae, quod adfatim biberat, euomuerat, nulla uero nauſea, nec flatibus perceptis. Loco fomenti, quod quia parum madefaciebat, minus commode amplius ferebat, commendabam calidam impoſitionem magni fruſti autopyri toſti, puluere groſſo caryophyllorum aromaticorum, N. M., macis, & cinam. plano latere obtecti, ſpiritus uini tepidi ſufficienti copia conſperſi, ac linteo inuoluti, ſaepeque ad uaporationem usque calefaciendi. In uſu etiam potionis perſiſtebat.

Hora 4. *matutina*, *d.* 9. *Julii* omnia mitigata reperiebam, & aegrotantem ſomno placido, ac tenui, roſcidoque ſudore gauiſum fuiſſe, laetabar. Quare ut reliquias morbi ſuperarem, hoc laxans praeſcribebam:

Rec:

Rec. maſſ. pil. polychr. dr. ſem.
f. l. a. pil. num. 17., conſpergantur ſem. lycopod., capiat omnes ſtatim, ſuperbibendo poſt horam dimidiam, infuſi theae quantum ſatis.

Quae res tam fauſtis auibus gerebatur, ut, ſexies ſeptiesue ſine ullo incommodo fecibus deiectis, pomeridianis horis ubiuis gentium exſpatiari poſſet, relicta leui uertiginis ac tremoris artuum umbra, bidui ſpatio. Quibus elapſis, integre conualeſcebat.

Inſeruit breuis hic, ut acutus morbus, ſequentibus enucleandis ueritatibus:

1. Vere dico morbum hunc conuulſionem ſepti transuerſi. Quum enim conuulſio nil aliud ſit, quam coacta & ſtabilis muſculorum plurium, uel unius contractio, qua partes, quibus muſculi inſeruntur, & inmobiles deinde, rigidaeque fiunt, Celso diſtenſio neruorum, *Graecis* uero, & compluribus recentioribus medicis *σπάσμος* nuncupata, ut ſententia b. D. de Berger (*a.*) utar; & noſtro in aegrotante ea potiſſimum regio contracta motu ad tempus priuaretur, quae muſculis diaphragmatis, tam antrorſum inmediate ſub coſtis, quam retrorſum circa renes, adhaeret, reliquaque ſymptomata, ex hac contractione ſcaturirent: ſatis quidem aperte demonſtratur, differre locum morbi

(*a.*) *Mſcto de morbis capitis, inciſo de morbis conuulſiuis.*

Digitized by Google

morbi noſtri a conuulſioue orificii uentriculi ſiniſtri ac ſuperioris, cardiae nomine apud anatomicos celebrati, quam conuulſionem Καρδιαλγίαν communiter adpellant, ut illam, quae pylorum rigidum efficit, anxietatis praecordiorum nomine inſigniri (*b.*) a quibusdam uideo.

2. En itaque ſigna pathognomonica utriusque morbi! In cardialgia contrahitur cardia; in conuulſione uero diaphragmatis tota plaga, quae muſculis eius, ac tendinibus contigua eſt. Quibus ipſis ſimul palam redditur, poſſe alterutrum morbum alterutrius ſymptomaticum fieri, & in utraque conuulſione, nunc idiopathice, nunc ſympathice, uomitus &c. cieri. Proprius tamen magis erit conuulſioni diaphragmatis rigor ille muſculorum dorſi & colli, quem Graeci τέτανον adpellant, ob uiciniam & contactum utrorumque.

3. Patet quoque inde (*num.* 2.) quam facile conuulſio haec ſepti transuerſi in alios morbos conuulſiuos, apoplexiam, epilepſiam, ſingultum lethalem, plenariam unius alteriusue occluſionem ſphincteris uentriculi, &c. commutari poſſit.

4. Quando febris morbo huic non iungitur, illeque a cauſſa frigida ortum ducit, talia calefacientia, quae perſpirationem conſeruant, utique locum habent, additis quandoque emollientibus, quae fibrarum conſtrictionem relaxent.

6. Conſideranti magnum illum niſum, quem con-

(*b.*) Allen *Synopſ. medicin. pract. cap. 6. artic.* 13.

conuulſio haec in uenam portarum, & huic connexa uiſcera exſerere poteſt, haut abſona uidebitur ratio, cuius ui ego permotus fui, ut uenam in corpore, talibus euacuationibus quotannis adſueto, pertundendam curarem. Cui quoque diuinationi exitus reſpondebat, id quod e pulſu, ſtatim pleniori reddito, & rigore colli remittente adparet.

6. Licet *olei caieput* copia hactenus caruerim, non tamen non poſſum laudare experimentum celeb. D. D. Trew, quod amicus ille honoratiſſimus haut ita pridem (*c.*) diſtincte propoſuit, quo docemur, latere in oleo hoc egregiam uim emollientem ac relaxantem, indoli reſoluenti ſuperadditam. Et quamuis poſt ea D. D. Kulbelius *oleum bezoardicam Wedelianum*, certo modo paratum (*d.*), ei uel par habeat, uel quodammodo praeſtare conſtantiori effectu dicat, egoque huius olei bezoardici uires ab aliquot annis in uariis conuulſionibus feliciter expertus ſim, ideo tamen, & ob parum diſcrepantem illam parandi olei methodum adſerere non auſim, olei Caieput uires eodem inferiores eſſe, quum laudatiſſimus D. D. Trew in memorato aegrotante fruſtraneam olei bezoardici Wedeliani opem implorauerit, quam tamen in oleo Caieput feliciter deinceps inuenit. Vt adeo iis confirmari uideantur, quae de eiusdem olei uirtutibus iam antea a D. D. Mich. Schendo, *Ruſſ. Imp. Equ. uan der* Beck (*e*), & haut ita multo

(*c.*) *Commerc. litter. Noric.* 1734. *bebd. V. p.* 34. *ſqq.*
(*d.*) Vid. *idem Commerc.* 1737. *bebd. XX. p* 156.
(*e.*) *Act. Nat. Curioſ. Vol I. adpend. p.* 123.

multo poſt a. b. D. D. Jo. Christ. Goetzio (*f.*) prolixius memoriae prodita ſunt.

7. Ad conuulſionem ſepti tranſuerſi optumo iure refero ſuffocationem illam, a Dom. Prof. Junckero (*g.*) recenſitam, quam ille in cardialgia idiopathica magis obuenientem, deficiente iuxta adſtantium ſenſum adflictorum reſpiratione, atque a conſenſuali diaphragmatis & pericardii adfectione productam credidit. Minus tamen in illo adfectu pericardium, ſed muſculos potius intercoſtales in conſenſum trahi arbitror.

8. Simplici naturalique methodo oleum oliuarum recens, nec rancidum, potioni ſupraſcriptae interſpergens, eidem pene tramiti, cuius ope oleum bezoardicum Wedel. agit, inſtiti.

(*f.*) *Comm. litt. Nor.* 1731. *ſpecim.* 1. *p* 3. 6.
(*g*) *Conſpect. Medicin. theor. pract. tab.* 105. *n.* 2. *p. m.* 824.

Digitized by Google

OBSERVATIO XXXII.

PLEVRIPNEVMONIA SINISTRI LATERIS, A VALIDA PVRGATIONE PRODVCTA, IN HAEMOPTOEN, TANDEMQVE IN PHTHISIN FVNESTAM TRANSIENS.

MErcator, corporis proceri, gracilis & firmi, temperamenti melancholico-cholerici, uaſa habens ſanguine turgida, magna, aetatis 29. annorum, pectore depreſſo, colloque longiori & anguſto praeditus, uitam modeſtam ac caſtam degens, & qui ſuapte natura breuem ſemper & anhelofum ſpiritum ducebat, *initio menſis Septembris a* 1733. in inflammationem, ut ferebatur, membranae pleurae, ſiue pleuritidem (*a*.) lateris ſiniſtri, cum aeſtu febrili, quauis ueſpera adaucto, uigiliis adhaec, delirio, nocturnisque demum phantasmatibus, &c. incidit.

Cauſſa, quam ille poſt ea mihi enarrauit, quum ego aduocarer, haec fuerat occaſionalis: obſtetrix quaedam, quum aeger noſter, tum temporis ad ſenſum ſanus, de grauitate circa cordis regionem, ac preſſu uentriculi, clandeſtinum atque diuturnum moerorem inſequente, conquereretur, ſuaſerat ipſi, ut *pulueris radicum ialapae drachmas duas*, ad aluum magis laxam, quae tamen naturaliter

(*a*.) Pleuripneumoiam fuiſſe inferius patebit. Retuli enim omnia, quemadmodum mihi ab adſtantibus, medicinae ignaris, commemorabantur.

liter fluida ipſi fuerat, reddendam deglutiret. Morem empirico huic conſilio infelix noſter gerit, ſumtoque uix purgante, feces deponere incipit, nec niſi peracto integro quatriduo, purgare deſinit. Vnde ingentem uirium lapſum expertus, adcedente ſimul caelo pluuioſo, frigido ac uentoſo, dictum in dolorem lateris punctorium incurrit.

Interim nil ille medicaminis expocit, ſed dolore ſua ſponte ſedato, pleuritis iudicata ipſi uidetur. At *ſexto morbi die* & ſequentibus, in haemoptoën ea quidem ratione delabitur, ut primum cruorem ſubnigrum, concretum, proxumis uero diebus rubicundum, ſpumoſumque, ac tamen, & floridum ſanguinem, tusſi uiolenta, profunda extusſiret. Quo facto, Medici cuiusdam, heic terrarum famoſi, conſilium deſiderat, qui ordinata primo uenae ſectione, cum uariorum terreorum, ac adſtringentium farragine curationem, prout ex ſequentibus eiusdem formulis patet, incipit.

Ac. *die* quidem 8. *Septembr.* hanc miſturam praeſcribit:

Rec. aqu. ueron.
fumar.
ſcabioſ. ana unc. iii.
aſthmat. unc. ſem.
corall. r. ppt. dr. i.
c. c. ſ. ign. ſcrup. i.
lap. haemat. ppt. gr. xv.
nitr. papauerin.
zinnab. nat. ana ſcr. i.
tinct. terr. catech. dr. i.

ſyr.

Digitized by Google

ſyr. cydon unc. ſem.
M. hauriat, agitato prius uitro, ſingulis horis eam, quam cochleare capit, quantitatem.

Cui *d.* 9. *Septembr.* hos pulueres ſubiungit:

Rec. Corall. r. ppt. dr. II.
nitr. puluer. ſcr. I.
Zinnab. nat. gr. XV.
ſpec. d. hyacinth. ſcr. I.
maſſ. pil. d. cygnol. gr. VI.
M. f. pulu., diuid. in 6. part. aequ., capiat ſingulis diebus, decubitus tempore, unam doſin.

Quibus in uſum uocatis, haemoptyſin confeſtim ſuppreſſam eſſe, ſcire licet. Sed ecquis non perſpicit, adſtringentibus illis arteriolas uulneratas contractas ac corrugatas, & anodynorum ui ſanguinem inmature ad tempus ſedatum, atque hinc curam, quam uocamus, meram palliatiuam inſtitutam eſſe. Vt adeo mirum uideri non debeat, aegrum, qui reſtitutum ſe credebat, poſt hebdomadas aliquot equo uectum, noua, eaque paullo grauiore haemoptyſi uexatum fuiſſe. Denuo itaque adcerſitus idem medicus, priori plane uia incedens, multifarias has ſucceſſiue offerendas tradit formulas, in quibus an multiplicatam remediorum congeriem, an uero cumulata adſtringentia opiaraue mirari malis, penes te, qui empiriam odiſti, lector ueritatis amans, iudicium eſto.

 En

En miſturam, *d.* 25. *Nou.* ab illo praeſcriptam!

Rec. aqu. bugloſſ.
ſcabioſ.
acetoſ. ana unc. II. ſem.
corall. rubr. ſcr. II.
matr. perl. ſcr. I.
nitr. dr. ſem.
Zinnab. nat. gr. XV.
maſſ. pil. d. cynogl. gr. IV.
ſyr. uiolac.
papau. rh. ana unc. ſem.
M. & agitatam potionem ſic hauriat, ut circa meridiem conſumta ſit.

D. 26. *Nouembr.*

Rec. aqu. ueron.
ſcabioſ
papau. ana unc. III.
matr. perl. dr. I.
corall. rubr. ſcr. I.
nitr. puluerif. dr. ſem.
maſſ. pil. d. cynogl. gr. II.
ſyr. pap. rh. unc. ſem.
M. D. ſingulis horis cochleare unum.

D. 28. *Nouembr.*

Rec. corall. r.
bol. armen. ana dr. I. ſem
nitr. pur. dr. I.
Zinnab. nat. ſcr. I.
maſſ. pil. d. cynogl. gr. IV.

M.

Digitized by Google

M. f. pulu., diuid. in 6. part., capiat ſingulis trihoriis ex theae infuſo unam partem.

Huius pulueris uſus repetebatur *d.* 1. *Dec.*, unde iterum uaſis conſtrictis, fluxus ſanguinis ſiſtebatur. Obſeruatu uero dignum eſt, quantitatem, ſingulis uicibus eiecti cruoris, uncias circiter decem aequaſſe, quod etiam in ſequentibus retineri cupio.

Peracto nondum octiduo, miſer aegrotans, eamdem ſcenam tragicam ludens, *d.* 9. *Decembr.* repetita ſputi ſanguinei periodo oppugnabatur, quam idem ipſe medicus medela, eadem indole gaudente, & parum uariata ſimplicia fouente, refellere iterum conabatur.

Rec. hb. heder. terreſtr.
ſcabioſ.
ueron. ana manip. I.
rad. bardan.
biſtort. ana unc. ſem.
ſem. aniſ. ſtellat. ſcr. I.
Conſc. inſtar infuſi aquoſi, loco potus ordinarii, per diem calide, cum, uel ſine ſaccharo, bibantur

Rec. aqu. buglosſ.
ueron.
ſcabioſ. ana unc. iii.
corall. r. ppt. dr. I.
C. C. ſign. dr. ſem.

bol. armen. ppt.
nitr. pur. ana ſcr. ii.
Zinnab. nat. ſcr. i.
maſſ. pil. d. cynogl. gr. vi.
ſyr. cydon. unc. ſem.
M. hauriat de commota miſtura ſingulis horis drachmas ſex.

D. 10. *Decembr.*, pomeridianis horis, loco miſturae, hos pulueres ordinabat:

Rec. corall. r. ppt.
nitr. pur. ana dr. i.
ſpec. d. hyac. ſcr. i.
maſſ. pil. d. cynogl. gr. iv.
M. diuid. in 4. part. aequal., capiat omni hora doſin unam ex infuſo theae uiridis.

Rurſus *d.* 11. *Decembris* pulueres cum hacce tinctura commutabat:

Rec. ſpir. nitr. dulc. dr. vi.
tinct. pap. rh. Mynſ. dr. ii.
M. qua de ſingulis horis 40. guttas, ex infuſi theae uiridis unciis duabus, hauriat.

Aſt irritis omnibus hiſce, necdum ſatis continuata tinctura nouiſſima, *d.* 13. *Decembris*, uariato uix remediorum ſono, ad priorum potionum genus confugiebat.

Rec. aqu. ueron.
ſcabioſ. ana unc. ii.
corall. r.

terr.

terr. lemn. ppt. ana ſcr. I.
maſſ. pil. d. cynogl. gr. III.
Zinnab. nat. gr. x.
ſyr. cydon. unc. ſem.
M. ſumat bihorii ſpatio, miſturam hanc, parum prius conquaſſatam, duabus uicibus.

Nec tamen hac ualida doſi ex uoto quidquam auxilii adferente, *d.* 14. *Decembr.* hac eſſentia utebatur.

Rec. ſpir. nitr. dulc. dr. I.
eſſ. caſtor. dr. III.
tinct. papau. rh dr. II.
M. capiat ex infuſo theae uiridis, omni bihorio 50. gutt.

Atque ſic tandem haec etiam adceſſio, cura ſimili palliatiua, deſinebat. Non tamen efficere illa poterat, quin *d.* 21. *Decembr.* denuo alia reuerteretur. Quare medicus nihil aliud cogitans, ac de pane lucrando, iterum haec porrigenda curabat medicamenta:

Rec. ſperm. cet. unc. ſem.
ocul. cancr. dr. I. ſem.
pulu. rad. ir. flor. ſcr. I
ſpec. diatragac. dr. ſem.
maſſ. pil. d. cynogl. gr. x.
ſacch. dr. VI.
M. d. ad ſcatul., ſumat quater, aut quinquies in die, quantum cuſpidi cultri magni incumbere poteſt.

Quum uero aeger pulueres hos ferre non poſſet, qui amagnam ipſi moleſtiam, & nauſeam, ac pectoris oppletionem creabant, infuſo antea memorato (*uid. d.* 9. *Decembr.*) tam diu utebatur, donec *d.* 26. *Decembr.* hanc adciperet tincturam.

Rec. tinct. pap. rh. dr. I.
ſpir. nitr. dulc. II.
M. D. in uitr.

Qua reiterata *d.* 30. *Decembr.* tincturae portione, ſputum ſanguineum rurſus conquieſcebat.

Sed aliqua inſuper reprehenſione dignus uidetur medicus, qui ſedato uix fluxu ſanguinis, quacumque id etiam peregerat arte, dicam, an fraude, omnem ſtatim ulteriorem remediorum uſum neglexerat, id quod ex ſuperiori dierum ac medicaminum adnotatione abunde pateſcit. Atque iam in eo erat, ut aegroto, toties tamque grauiter decumbenti, ac proinde de ſalute umquam recuperatura admodum dubitanti, ſub diris conteſtationibus, nullum amplius eſſe paroxyſmum aduenturum, polliceretur.

Sed promiſſis minus reſpondebat exitus. *Die* enim 9. *Januar.* a. 1734. ſolitam cruoris copiam per uias ſpiritales emittens, magna ſimul uirium proſtratione adfligebatur. Quare haec demum idem medicus, necdum quidquam fere mutans, porrigebat:

Rec. aqu. ueron.
ſcabioſ. ana unc. III.

corall. r. dr. I.
bol. armen. pulueriſ. ſcr. I.
terr. ſigill. r.
nitr. pulueriſ. ana dr. ſem.
maſſ. pil. d. cynogl gr. IV.
ſyr. cydon. unc. ſem.
M. hauriat de commota hac miſtura ſtatim uncias tres, dein uero ſingulis bihoriis unciam unam.

Rec. corall. r. ppt. dr. I.
ſpec. d. hyac. ſcr. I.
Maſſ. pil. d. cynogl. gr. II.
M. f. pulu., diuid. in II. partes, ſumat alteram hora octaua, alteram hora nona ueſpertina, e uehiculo aquoſo.

Quibus *d.* 10. *Januar.*, puluerum vice, hoc eclegma addebat:

Rec. conſeru. roſ. rubr. unc. I.
loch d. pulm. uulp. dr. V.
ſpec. diatragac. dr. I.
ſem. papau. alb. dr. 2.
ſyr. alth. Fernel.
diacod. Montan. ana unc. I., uel q. ſ.

ad conficiend. electuar., d. ſingulis horis, quantum cultri cuſpide adprehendere poteſt.
Fere autem obliuioni tradidiſſem, quod maxume di-

dignum ad medelam ſuſcipiendam uiſum fuerat, ſub qualibet pene haemoptyſis periodo reuertente, uenam iusſu medici ſaepius dicti ſectam fuiſſe. Quatuor autem id uicibus unciarum octo ad decem quantitate exſequutum erat. Quam uero multo ſero admodum paucus ſanguis ruber, atque floridus, referente aegro, ac adfirmante chirurgo, innataſſet, optume heic ille locum GALENI, quem VALLERIOLLA *Enarration. Medic. p. m.* 139. *b.* 10. eleganter ac ſcite explicat, imitari potuisſet. „ Si bonus, inquit hic, ſanguis exiguus ſit, „ reliquus uero ſuccus plurimus, in his abſtinen„ dum a ſanguinis detractione eſt. Sed cur, quae„ ſo, abſtinendum? non ob aliud certe, quam „ quod miſſo ſanguine, ſuccis a ſanguinis natura „ alienioribus factis, metus ſit, ne ut ipſi quan„ titate ſua, ſic certe uirtute qualitatibusque ſuis „ ſuperent: atque ſic in ſuam ipſorum naturam „ uniuerſum corporis habitum ducant. Quippe „ ſi exiguus bonus ſanguis ſit, bilis autem pluri„ ma, quod in bilioſo temperamento praeditis uſu „ uenire ſolet (*atque heic optume conueniebat*), „ excitabitur certe in illis, ſanguine miſſo, bi„ lis, &c. Quod metuens GALENUS abſtinen„ dum a mittendo ſanguine bona certe ratione „ ſtatuit."

Pertaeſus interim noſter prioris medici, me *d.* 11. *Januar.* aduocari iubet, feliciorem medelae progreſſum ſibi hinc perſuadens. Accedenti ille, uiribus fere exhauſtis, ac tabeſcens, eam hiſtoriae ſeriem refert, qualem ego in ſuperioribus concinnaui, iuncto ſummo incolumitatis recuperandae de-

deſiderio. Ex pulſus magnitudine, celeritate & aequabilitate naturali, quamuis ob uires fractas aliquatenus debili & paruo, febris eo temporis interuallo abſentiam cognoſco.

Indicationem, hiſce conſideratis omnibus, formo, ut leniſſime adſtrictis, ſiue potius corroboratis tantummodo arteriolis, uulnuſcula conſolidentur. Primum, ne, quod aegrotus iam iterum ſe perſentiſcere credebat, noua exoriretur haemoptoë, neceſſum erat: alterum, integram, ſi Deus benedictionem ſuam largiretur, ſanationem ut obtineremus, fieri debebat.

Priori igitur indicationi morem geſturus, porrigebam *electuarium* Boyle*anum*, quod in D. D. Allen *Synopſ. Medicin. pract. cap. XVI. artic.* 77. reperitur.

Rec. ſem. pap. alb.
Hyoſcyam. alb. ana unc. ſem.
ſyr. ex ſucc. fl. papau. rhoead.
Conſ. roſar. r. ana unc. I. ſem.
M. f. l. a. eclegma, d. ad pyxid., capiat omni ueſpera, decubitus tempore, quantitatem nucis iuglandis, absque putamine conſideratae.

Quoniam in hac formula nulla opiata fortiora occurrunt, exceptis lenioribus & indignis papaueraceis; ſecuriori uia incedere poteram, quam illo electuario utens, quod alter medicus d. 10. Januar. praeſcripſerat. Quod accedit, non qualibet hora ele-

electuarium hoc, ut antea factum erat, ſed quotidie ſemel tantum propinandum curabam.

Poſterioris autem indicationis implendae gratia ſequentem exhibebam linctum:

Rec. ol. amygd. dulc. rec. ſ. ign. unc. iii.
ſyr. uiolac.
e ſymphyt. Fernel. ana unc. i.
M. f. linct., quo de, exactisſime conquaſſato, lambat, omni bihorio, unciam unam.

Haec *d.* 13. *Januar.* fiebant.

Nocte ſequenti aeger parum dormiuerat.

D. 14. *Januar.* eorumdem uſus remediorum. Sputum modo cruentum, modo purulentum (*a*), ſed minus copioſum; pulſus naturalis; tusſis ualida; facilis tamen ſub quauis tusſi excretio. Flatuum, in alimentorum canali obmurmurantium, moleſtiam aeger, erecto thorace in lecto ſedens, exhauſtis ſuopte conſilio *aquae foeniculi* & *menthae ana unc. una*, compeſcere ac diſcutere poterat. Doloris

(*a*) Vide iam, amice lector, phthiſeos conflatae initia. Atque ab hoc ſymptomate ſolemne iſtud HIPPOCRATIS: *poſt ſanguinis ſputum, paris ſputum*; originem forſan duxit. Puris autem praeſentiam libere concedes, quia ab oleoſis illis balſamicis pus, quod a ſanguine primum rubro, dein nigricante, mediante contactu renis pulmonaris, ortum fuerat, ad excretionem productum, uiſui obiiciebatur.

Digitized by Google

ris in latere ſiniſtro punctorii modo abſentia, modo praeſentia, qui tamen, impoſita parti dolenti ueſica calida, lacte calido, duorum triumue digitorum altitudine transuerſorum, turgida, ac linteo inuoluta, diſſoluebantur. Potus ordinarius erat decoctum auenaceum dilutum, cum uuis corinthiacis confectum, & feruide fere hauſtum. Electuarium Boyleanum, ſupra deſcriptum, ſolito maiorem, ceu aegrotanti videbatur, ſitim creauerat. *Nox* quieta.

D. 15. *Januar.* uirium graviorem iacturam ſentiens aeger, mortemque praematuram metuens, ſacris utebatur; quo facto, tranquillitatem ac hilaritatem animi, quantum fieri posſet, commendabam. Fuerat autem eo terrore perculſus, quum matutinis horis floridum ſanguinem ad duas fere uncias exſpuisſet, exceptum poſt ea a pure admodum tenaci, profundo, ualida demum ac profunda tuſſi eiecto.

Modo adlegata olei amygdalini quantitate quater intra triduum repetita, ſaporis uariandi cauſſa, oleum lini, recens expreſſum, iam deſiderabat, quod initio ſtatim dedisſem, niſi huius acriuſculus & magis incidens ſapor ipſi tum temporis diſplicuisſet.

Rec. ol. lin., recenter ex ſemin. absque ign. expresſ. unc. ii.
Syr. uiolac. (*b*) unc. 1.

M.

(*b*) Quodſi ſyr., ex ſucco florum papaueris erratici paratus, in pharmacopolis adfuisſet, hunc ſyropo uiolaceo praetulisſem.

Digitized by Google

— M. f. c. f. q. ſacch. alb. linct., quo de ſaepius drachmas 2. ad. 3. lente deglutiat, quoties tusſis impetus moleſtior, aut exſcreandi difficultas urgeat.

Studio ſyrupum de ſymphyto FERNELII, ut incrasſantem, nunc omittebam, quoniam pus, nimium tenax, incidentia & adtenuantia expoſcebat.

Ceterum aer in hypocauſto temperate calidus perpetuo conſeruabatur. Oua, ad albuminis leuem congelationem, uitello fluido permanente, cocta, ſorbebat, pultesque, e farina ſiliginea, longa coctione confectas, parua quantitate comedebat, quoniam adpetitus ualde inminutus erat. Atque ex horum quoque uſu remediorum ſatis notabilem ſeſe morbi ſubleuationem percipere, bonamque iis fidem habere adfirmabat aegrotans, niſi uirium forte nimius lapſus obſtaret.

Ad materiem porro efficacius adhuc incidendam, adtenuandam, & reſoluendam, tusſinque faciliorem pariter reddendam, ac expectorationem promouendam, hoc ordinabam infuſum aquoſum:

Rec. hb. cerefol.
hysſop.
marrub. alb. ana manip. II.
Inc. gr. m. D., hauriat infuſi feruidi tres quatuorue ſcutellas murrhinas, aliquoties in die, uel quoties ſitiat.

Ante uero, quam infuſum hoc parari poterat, aeger binas circiter uncias ſanguinis, ualididiſſima

ma (*c*) rurſum tuſſi, proiiciebat. A qua tamen exſpuitione nullum, ut antea non numquam ipſi contigerat, animi deliquium patiebatur, ſed noctem ſomno placido quietam tranſigebat.

D. 16 *Januar.* Symptomata omnia, ut heſterna luce, ſed aliquantulum mitiora, tuſſis adhuc fortior, ſputum idem purulentum, reiterato tandem conatu deiectum. Linctus ex oleo lini, tertia iam uice, eadem in quantitate, repetebatur, adeoque nychthemeri ſpatio aeger unc. 8. olei lini, non computata olei amygdalini copia, ſuperius enarrata, deglutiuerat; quae remedii quantitas ad mali grauitatem, & ulceris amplitudinem cognoſcendam ſufficiat. Aluus hac die clauſa; urina primum coloris obſcure aurantii, dein turbida, cum ſedimento ſubalbido, copioſo. Febriculae lentae, quotidie pomeridianis horis motu uix perceptibili reuertenti, tincturas acidulas opponebam, tuſſi uero mitigandae has pilulas DECKERianas (*d*), omiſſo tantum croco, heic nimis calido, horis ueſpertinis deuorandas, deſtinabam:

Rec. maſſ. pil. d. cynogl. ſcrup I.
laud. op. gr. II.
ſucc glycyrrh., in aqua hyſſop. ſolut. & fil-

(*c*) Hinc patet, rupta uaſa admodum profunde, & in extremitate bronchiorum, adeoque in loco ſubtiliſſime ſenſibili, latitaſſe: ſuppoſitis nempe antecedentibus, e ſolo pulmone ſanguinem effluxiſſe.

(*d*) Vid. *Prax.* BARBETT. *c. not. & obſeruat.* FR. DECKERS, *l.* 3. *cap.* 2. §. 8. *pag.* 95. *not.* X.

R

Digitized by Google

filtrat., ac blando
igne ad conſiſtentiam looch redacti, dr. ſem.

M. f. l. a. pil. ex ſcrup. I. num. xv., capiat ſingulis ueſperis, decubitus tempore, tres ad quatuor, quam diu fluxus puris, e pulmone rite procedens, nullum contraindicans formauerit.

Nox tranquilla, circa mediam uero noctem effluuium iteratum ſpontaneum, ſine ulla tuſſi, unciarum ferme duarum ſanguinis, primum floridi, *dein* nigricantis.

D. 17. *Januar.* ut aluus aperiretur, ſequens laxans leniſſimum, ne morbum irritarem, propinandum curabam:

Rec. Crem. tart. ſcr. II.
diſſolu. ſuper lenem ignem in
pluviae unc. II.
add
mann. calabrin. unc. I.
ſyr. roſ. ſolut. dr. II.
Colatur. unc. III. d., capiat uel uno, uel pluribus hauſtibus, ſtatim.

Quod ſupereſt, ſymptomata, excepta haemoptoë, cuncta, ut ſuperioribus diebus, ſe gerebant, animi uero & corporis uires magis erant fractae, quum a flatibus aeger, alvoque, per biduum nunc clau-

Digitized by Google

ſa, moderato incommodaretur. Leuis hinc quoque febricula, circa ueſperam in plenariam ἀπυρεξίαν deſinens, ſuperueniebat, unde nihil medicamentorum, quibus uſus fuerat, inmutandum cenſebam.

Crepuſculi tempore aluo nondum exonerata, licet a ſumto laxante nullam uentris moleſtiam experiretur, nihilo tamen ſecius hoc inmittendum enema blandum curabam:

> Rec. Lactis libr. I.
> ſacchar. unc. II.
> M., leniter ebullita infundantur ueſicae, adplicentur tepide.

Felicem hic clyſmus habebat effectum: nam elapſa uix dimidia hora, aluum fluidam nanciſcebatur, atque ſex horis poſt iterum, inſigni cum ſymptomatum leuamine, feces deponebat.

Nox iterum quieta. Sputum, ut antea.

D. 18. *Januar.* aeger optume ſe refectum ſentiebat, tusſis paullulum minuebatur; ſputum glutinoſum, tenax, ſanguinolentum, pure albo intermixtum; cetera, ut diebus praegreſſis.

D. 19. *ad* 23. *Januar.* maior aegri refocillatio; tusſis diminutio; leuitas in eiectione paucioris, quam antea, ſputi crasſi, glutinoſi, modo albi, modo carnei coloris. Nulla in his diebus ſanguinis exſpuitio. Ex puris igitur colore, e rubro in carneum ſenſim deſinentis, conſolidationem uaſculorum, in nouisſimis haemoptoës adceſſionibus

 lae-

laeſorum, concludebam. Medicamenta eadem, ſed parciori copia adſumta, ſcilicet (1. linctus ex oleo lin. d. d. 15. Januar. (2. infuſum ex herbis, eod. die memoratis; ac 3.) nunc alterna, nunc tertia, quartaue quauis ueſpera deglutitae pilulae opiatae. Victus e iuſculis nutrientibus; ouo uno alteroue, leuiter cocto, ac reſorpto; pulte auenacea colata, cum paſſulis minoribus.

Noctes quietae, aliquando autem in ſomno minus profundo phantaſiae, ac rerum inſomnia adſuetarum. Continua per dies ac noctes tranſpiratio moderata, totiusque corporis lenis mador. *Qui*, aegroto ſubinde per horulam e lecto ſurgente, ſi tollebatur, leuis, breui tamen euaneſcens, febricula, cum calore modico, exoriebatur.

Sequentibus diebus 24. 25. *&* 26. *Januar.* maiores aegri uires; ſputum albisſimum, purum, glutinoſum, nullis ductibus, aut ſtriis carneis miſtum; medicamenta eadem; ſomnus placidus, reficiens. Notandum autem eſt, aegrum per omne illud tempus, quo curae mere ſe concrediderat, ſupinum iacuiſſe: uerebatur enim, ne, ſi lateri alicui inniteretur, in nouum ſanguinis ſputum incideret. Quod reliquum, per bihorium quotidie lectum deſerere, ſolusque, nihil fere titubans, incedere poterat.

D. 27. *Januar.* omnia, ut diebus noviſſimis. Nocte uero, quum dormiret, ſtragulum ſuperius forte reiecerat, unde, transſpiratione per admisſum frigus ſuppreſſa, tusſire adeo fortiter iterum cogebatur, ut e uaſculo naſi disrupto, paucus ſanguis proſiliret, indeque fieret, ut ſomno per reſiduum

ſiduum noctis omnino careret: nullum tamen e pulmone cruoris ſputum ſubſequebatur.

Quapropter firmam uaſculorum huius conſolidationem ſperasſem, niſi prima proxumi diei 28. *Januar.* luce carneum denuo ſputum noſter reddidisſet, quod autem, elapſa uix hora, in album commutabatur; quo facto, tusſis quoque minor ac parcior uehementia euadebat. Medicamenta eadem, ſed copioſius, copioſiore in tusſi & ſputu, ſumta.

Veſpertinis horis nil puris exſpuere poterat, grauique dyſpnoea, ac tusſi ſicca, laborioſa, ad mediam usque noctem continuante, tenebatur. Durante hoc anxietatum interuallo, ab hora ſexta ueſpert. ad dictum noctis tempus, lenis mador, a lenta febricula productus, totam corporis ſuperficiem irrorabat. Finito uero eodem paroxyſmo, ſputum purulentum commode iterum eiiciebat.

D. 29. *Januar.* eadem prorſus ſymptomata, cum redeunte dyspnoea &c., ac copioſe quamuis de linctu, atque infuſo (*uid. d.* 15. *Januar.*) adſumeret, tantum tamen aberat, ut expectoratio proliceretur, ut dyſpnoea potius in aſthma ualidum, ac profundum cum ſibilo, commutaretur, idque iisdem prorſus horis heſternis: Vnde ſymptomatis huius urgentis fugam meditatus, flatusque ſimul, quibus maiorem in modum torquebatur, disſipaturus, hiſce utebar:

Rec. masſ. pil. Ruſi. ſcr. 1.
fl. ſal. ammon. ſimpl.

 nitr.

nitr. papauerin. ana gr. VIII.
camph. puriſſ. gr. III.
ol. caru. ſtill. gutt. III.
M. f. l. a. pil. ex ſcrup. I. num. XV., conſperg. flor. ſulphur., deglutiat dimidiam portionem ſtatim, ac reliquam craſtina ueſpera, ſuperbibendo, quoties epiglottis ac fauces exſiccentur, feruidi quid, iuſculi tenuis auenacei, aut potus Coffeae diluti.

Rec. gumm. ammon. dr. I.
Solu. in
acet. ſquillit. unc. 2. circiter, uel q. ſ. ad ſolutionem,
add.
aqu. ueron. c. vin. unc. III.
eſſ. myrrh ſ. alcal. dr. II.
M. capiat, durante exacerbatione aſthmatica, ſingulis horis, unc. dimidiam.

Circa mediam uero noctem ab hac potione ut abſtineret, & ſaepius commemoratum linctum una cum infuſo repeteret, praecipiebam.

His adhibitis, ſymptomata leniebantur, atque *d.* quidem 30. *Januar.* ſputum album, tenax, ſpiſſum, tertio demum tusſiendi plerumque conatu reiectum; uires uiuidiores.

Veſperi eadem anhelatio, ac d. 28, Januar., mitior ea, quae d. 29. Jan. aegrotantem excruciarat; adhaec febris lenta, cum pulſu duriuſculo ac ueloccio-

lociori, quam illius d. d. 28. Januar. Medicamenta eadem, quae d. 29. Januar. recenſita fuere. Ab uſu pilularum aluum aliquoties apertam experiebatur, dum miſtura interim, iterata uice confecta, nimis acris aegro uidebatur, quod ego etiam guſtu percipiens, ex aceti ſquillitici diuerſitate prouenire, animaduertebam. Hac enim die pharmacopoeum acetum illud denuo confeciſſe, ſcire licet, cuius rei quum officinae ſeruus me non commonuiſſet, incongrue duas aceti huius recentis & acrioris uncias reliquis ingredientibus admiſcuerat, quoniam uel ſex drachmae ad ſolutionem ammoniacalis gummi abſoluendam ſufficiebant.

Nocte aeger prae magna inquietudine parum dormiebat.

D. 31. Januar. aegroti uires infirmiores, caelo admodum nebuloſo exſiſtente, pectusque opprimente. Sputum idem plane, ac heſternae diei decurſu. *Tempore ueſpertino* eadem febricula, gradus eiusdem, qualis heri adfuerat. Anhelationis minus incommodum, ac tusſis mitior. Quare ad calorem febrilem mitigandum hoc ordinabam:

Rec. Pluuiae unc. VI.
conch. citr. dr. ſem.
pulu. e chel. & lap. cancr. ſimpl. dr. I.
ſyr. acetoſ. citr. unc. ſem.
M. hauriat de agitata miſtura, durante aeſtu febrili, ſingulis horis, unciam unam.

Cuius uſu parum continuato, lenem aeger madorem percipiens, tranquillus euadebat, nocteque placide dormiebat. Ceterum de uictu monere uiſum

ſum eſt, e recenſitis d. 19. Januar. cibis nil, niſi ouum ſorbile retentum fuiſſe, ac quouis mane & ueſperi in ἀπυρεξίᾳ aegrum lac bubulum, recens mulſum, tepidum, cum pauco pane bis cocto, cui parum ſacchari albi iniiciebatur, notabili cum fructu comediſſe.

D. 1. *Februarii*, quum caelum ſerenum ac frigidum exſiſteret, maiores etiam aegrotanti uires, illis diei 30. Januar. ſimiles, adcedebant ſputum eiusdem diei. In uſu tam linctus, quam infuſi d. d. 15. Januar., antemeridianis potiſſimum horis, huc usque perſiſtebat.

Veſperi leniſſima exacerbatio febrilis, quae non niſi ſolo ex pulſu, paullulum ſupra celeritatem naturalem euecto, cognoſcebatur. Sed tuſſis fortiſſima, ac plerumque ſicca, quarta demum uice, aut ſerius adhuc. ſputum tenax, album, paucum adtollens, euadebat. Qua uiſa, firmam arteriolarum, nou ſſimis in haemoptoës adceſſionibus ruptarum cohaeſionem mirabar. Ad tuſſim autem diminuendam ſequentes pilulas offerebam:

Rec. maſſ. pil. d. ſtyrac. gr. XII.
f. l a. pil. num. 8., conſperg. polline tenuiſſimo cinamomi, deglutiat unam alteramue pilulam qualibet, uel alterna ueſpera, hora decubitus.

Quibus alias quoque ſpecies uulnerarias, ac reſoluentes, & abſtergentes, infuſi inſtar priorum loco ſorbendas, commendabam:

Rec.

Rec. rad. chin. ponderoſ.
pimpin. alb. ana dr. II.
hb. heder. terreſtr.
ueron. ana manip. ſem.
ſummit. cent. min.
fl. bellid. ſylu. ana pug. I.
Inc. gr. m. d. pro infuſo theiformi, cum uel ſine ſaccharo, aut lacte bibendo.

Saporis amoenioris cauſſa aeger hoc prae illo, quod d. 15. Januar. ordinaueram, infuſum malebat.

Nox melior illa diei praecedentis, ac ſomnus aegroto profundus, & refocillans. Sub aurorae adparitione tertiam ille pilulam, ob urgentem tuſſim, deuorabat.

D. 2. *Februar.* caelum ſerenum, frigidiusculum; aegrotans mente hilaris, corpore magis refectus; ſputum idem, ac diebus antecedentibus; tuſſis aliqualis diminutio.

Veſperi febricula, mitior illa heſternae lucis, reuertebatur, cuius praeſentiae Noſter plane inſcius erat. Medicamentorum eorumdem diligens uſus; pilularum unam hora 6. ueſpertina, alteram hora decima adſumebat, unde tuſſis profligabatur, ita tamen, ut cum leuitate exſpuere ualeret.

Nox quieta.

D. 3. *Februar.* copioſius ſputum, ſed conſiſtentia ac colore idem.

Tempore pomeridiano aeger ob refectas uires lectum deſerens, hora uix peracta, dyſpnoea haut mediocri tactus, eumdem repetere cogebatur. Neque haut ita multo poſt in febrim incurrebat, maiori ca-

Digitized by Google

calore intrinſeco, pulſuque forti, & quaſi ſerrato, ac ueloci ſtipatam. Sudor in ſolo capite; ceterae corporis partes ſiccae. Vrina, quae tot per ſeptimanas cocta fuerat, cum ſedimento albo; nunc clara, tenuis, citrea, ſine ullo ſedimento, adeoque cruda erat. Tandem de dolore mordaci in ano, quando feces dimittebat, ualde conquerebatur.

Colligebam inde, uires noſtri tantas non eſſe, ut extra lectum uerſari poſſet. Tam enim anhelitum, quam febris pomeridianae grauiorem adceſſum, ab äeris penetranti frigore, cuius ui laxa aegrotantis cutis conſtricta, humores in coagulum uerterat, deriuare tuto licebit. Praeſcribebam itaque ſcopo reſoluendi, incidendi, ac acrimoniam corrigendi haec remedia:

Rec. eſſ. pimpin. alb. unc. ſem.
liqu. C. C. ſuccinat. dr. I.
M. capiat hora quinta & octaua ueſpertina 30. guttas ex hauſtu decocti auenacei.

Seorſim autem pulueres ad gluten febrile diſſoluendum, & acredinem aluinam temperandam porrigebam.

Rec. tart. uitriolat.
ſolubil. ana gr. xv.
antim. diaphor. non ablut. gr. VI.
ol. foenic. gt. I.
M. f. pulu., d. in 3plo, ſumat hora 10. antemeridiana quotidie unam doſin, ex hauſtu iuſculi tenuis auenacei.

Nox

Nox bona, cum ſomno placido.

D. 4. Februar. tuſsis ac ſputum prorſus idem. Refectum ſe credebat aeger, ſumtaque iuſculi, cuius ſupra mentionem iniecimus, portione, e lecto ſurgebat. Aſt quatuor horis poſt, quum prius febriculam conſueto tempore perpeſſus eſſet, totum corpus ſudore madido, ad horam usque ſextam pomeridianam perſeuerante, ac paullulum debilem eum reddente, perfundebatur. Adpetitus tamen bonus manebat, neque ſitis uehementer fauces exſiccabat, quae, referente LOMMIO (*e*), *ſigna* oportuna ſunt. „ Secundum, *ait ille*, eſt, tantulam hanc eſſe, ut neque cibum impediat, „ neque crebram ſitim faciat ". Aluus hac die clauſa; lotium, quale die heſterno.

Quae autem ad praeſentem πρόγνωσιν faciunt, ex laudato auctore paucis adferam. „ Fere, *inquit*, is homo, de quo ſub hoc morbo ſpes „ haberi aliqua poteſt, ſputum exſcreare debet „ album, per omnia aequale, tum ſubſtantia, „ tum colore, ſimileque etiam id esſe debet, „ quod a capite in nares ſtillat ". Et paullo poſt: „ bonum itidem eſt, coactam in dies de„ iectionem eſſe, atque iis, quae adſumta ſunt, „ mole reſpondere ". Ante uero, quam haec recenſuit, de aetate phthiſicorum differens, ait: Longum hoc malum eſt, & certam aegrotis „ perniciem adfert, eique magis oportura ea ae„ tas eſt, quae anno decimo octauo, & triceſi„ mo quinto intercedit ". Omniaque, quae hisce ſubiungit, in aegrum noſtrum adprime quadrant,

(*e*) *Obſ. Medicinal. L. II. p. m.* 118.

drant, corpora uidelicet citius adfici gracilia, preſſi pectoris, & colli longioris, magisque, ſi ſcapulae macrae promineant; auctumno id malum & naſci maxume, & occidere. Ac tandem, ſperare ſalutem id iubere, quod ſub uiribus non infirmis purum, album, & aequale ſit; in noſtro uires nimium a tot ſanguinis e pulmone profuſionibus debilitatae adparebant. Ceterum remedia eadem, ac ſub ueſperam pilulae d. d. 29. Januar. repetebantur.

Quis igitur ex his omnibus, adtento animo conſideratis, non perſpicit, aegrotantem noſtrum *phthiſi pulmonari*, *haemoptoïca*, *acuta*, *cum febriculis pomeridianis*, *quotidianis*, *uagis*, *lentis*, uere laboraſſe. Dyspnoea, quae antea uehementiori gradu adfuerat, minor nunc ope medicamentorum, d. 29. Januarii praeſcriptorum, adiuuantibus pilulis de ſtyrace, reddita erat, iisdemque tuſſis aliquo modo frangebatur, quae tamen quotidie, paullo ante mediam noctem, uehementior iterum adparebat; hanc uero remittentem ſomnus placidus ac refocillans ſequebatur.

D. 5. *Februar.* maiores aegro uires; caelum nubilum, frigidum, pruinam fundens; ſputum idem, ac diebus proxumis, ſub quauis moderata tuſſi reiectum. Ex uſu eſſentiae, ac partim quoque pulueris d. d. 3. Februar. copioſior urina, ſed pellucida, ſubrubra, ſine ſedimento, multusque ſudor, in capite initium faciens, ac poſt ea per totum corpus pedetentim diffuſus. Typus febris pomeridiano plerumque tempore permanebat, modoque horulam antecedebat, modo poſtponebat. In ea moderatus ac blandus adeo calor, ut de hoc aeger

aeger nihil fere gemeret, ſed de ſudore largo tantum, notabilem creante debilitatem, conquereretur.

Quare ſapienti complurium medicorum conſilio, & ſeorſim egregii MORTONI (*f*) ad corticem Peruuianum confugiebam, quum praegreſſa medicamina febrifuga, & aeſtum febrilem temperantia, nil amplius effeciſſent, quam praeſentis calorem febris domaſſent, ipſis exacerbationibus ne quidquam protractis, aut mutatis. Ac principio quidem, quum ego aduocarer, hunc iam ſuaſeram, cum ſpe certò ſubſequuturae ſalutis, quem tamen, aliorum falſis perſuaſionibus nimis innixus, conſtanter tum temporis recuſaverat.

Summam autem cunctorum remediorum, quibuſuis diei horis uſurpatorum, intueri hisce licet: *hora 9. antemeridiana* aeger iuſculo tenuiſſimo uitulino, alioue facillimae digeſtionis, ſepoſita iam lactis cura, ueſcebatur, utpote tempore a febri maxume uacuo; *hora decima* doſin pulveris d. d. ʒ. Fe-

(*f*) *Phthiſiolog. L.* 3. *cap.* 5. *p.* 258. *ſqq. edit. Londin. d. a.* 1689. *in* 8., ubi ita incipiens, haec effatur: " ſuper „ omnia uero in phthiſi haemoptoica, acuta, & pe- „ riculoſa, corticis Peruuiani uſum, forma aegrotanti „ quam gratiſſima, multorum annorum experientia „ edoctus, commendo. A cuius repetitione ſatis fre- „ quenti, caloris febrilis temperatio, & inteſtini mo- „ tus ſanguinis ſuppreſſio, & conſequenter etiam re- „ curſus haemoptoës, & progreſſus phthiſeos praecau- „ tio, magis quam a lactea diaeta, lacte aſinino, & „ adparatu medicaminum pulmonarium, exſpectan- „ da eſt ".

Digitized by Google

Februar. adſumebat ex hauſtu decocti auenacei; *meridie* nil comedebat. *hora* 5. *pomeridiana*, exacerbatione febrili prorſus fere remittente, & adpetitu parum reuocato, iuſculo aliquo iterum cum fructu utebatur; *hora* 7. doſin pilularum ſequentium de cortice Peruuiano deglutiebat, tuſſique non numquam praeter modum aucta, omni biduo aut triduo *hora* 9. *ueſpertina* pilulas de die 29. Januar. ſeptenas aut octonas adcipiebat; *hora* 11. *nocturna*, *tertia matutina*, & tandem *ſeptima antemeridiana* alterius diei pilularum de cortice Peruuiano portionem denuo deuorabat. Vt tamen expectoratio ſimul facilis conſeruaretur, ſaepius memorati linctus de oleo lini, ac infuſi d. d. 1. Februar. uſus, pro re nata, interſpergebatur. Nec quidquam aliud, praeter iuſcula, refragante cortice lactis uſui, inter haec comedebat. Praeter ea ſedulo ipſum monebam, ut ante febris adceſſionem lectum repeteret (*g*), ſi forte horis meridianis hunc egreſſus esſet.

Cortex (*h*), quem ſeligebam, *odore* aliquantulum erat aromaticus, ac mucidus; *ſapore* primum fatuus, & quaſi inſipidus, dein terreſtris, amarus

(*g*) Quam cautelam ad febris exacerbationem leniendam, roſcidumque citis madorem eliciendum, admodum necesſariam iudico, conſpirante mecum Celeb. D. D. WERLHOFIO *Obſeruat. de Febrib. ſect.* 3. §. 5. *p. m.* 94 *not. b.*

(*h*) Hiſce de notis externis, ſaporem, colorem, ac odorem corticis ſpectantibus, prolixius agentem uid. eumdem laudatisſ. WERLHOF. *l. c. ſect.* 3. §. 3. *tota, & in notis ſubiectis.*

rus leuiter, tandem aromatice mucidus euadens; *colore* externo albidus, ſplendens, qualem talcum fere habet, uerrucis obſitus fuſcis, in horum uero interſtitiis fuſcus, ac brunnus: interiore cinamomo ſimilis, aut aliquantum ſaturatior; *ſubſtantia* ipſi, ſine dilaceratione in fibras lignoſas, facile fragilis, atque ponderoſa quodam modo erat. Ceterum exiguam cortici intus adhaerentem ligni portionem, utpote uiliorem, ac leuiorem, caute abradendam curabam.

Adridebat Noſtro pilularum forma: unde has parari iubebam:

Rec. pulu. patr. (*i*) ſubtiliſſ. dr. I.
mucilag. gumm. tragacanth. dr. I. ſem.
laud. opiat. gr. III.
ol. caryophyll. ſtill. gt. I.
M. f. l. a. pil. ex ſcrup. I. num. 12., conſperg. puluer. rad. liquirit., capiat extra exacerbationem febrilem, omni quadrihorio, quindecim ad uiginti.

D.

(*i*) Quale nomen, a MORTONO, uariisque aliis, cortici impoſitum, atque a *patribus ſocietatis Jeſu*, qui eum olim, tanquam arcanum, per uarias orbis regiones e coenobiis ſuis diſpertiti ſunt, oriundum, eo temporis interuallo ad abſcondenda odioſa chinchinae aut corticis Peruuiani nomina, conſulto eligebam, ne inconuenienti timore aegrotantem perturbarem. Conf. illuſtr. FRID. HOFFMANNI *diſſ. de recto cortic. chinae uſu in febrib., Halae* Sax. 1728. *habita*, § 5.

D. 6. Februar. febricula ſtatuto tempore paullo intenſior, cum celeriori pulſu, aeſtu fortiore, ac ſudore profuſo; ſputum priori prorſus indole manebat; tusſis in eo gradu, qualis ad pus e pulmone eiiciendum neceſſarius uidebatur; uires uegetae; aluus aperta; urina ſubrubra, cruda, ſine ſedimento. Medicamenta partim linctus ex oleo lini, partim infuſum d. d. 1. Februar., partim etiam idoneis horis porrectae pilulae de Gannanaperide, heſterna die praeſcriptae; uictus idem tenuis; *nox* quieta.

D. 7. Februar. cuncta omnino ſymptomata, ac remedia eadem. Pilulas tamen ob lepidam *hanc* circumſtantiam in electuarium redigebam. Quum enim aeger prima uice d. 5. Februar. ueſperi pilulas deuoraturus eſſet, omnes iſtas, numero quindecim, me abſente, cochleari imponendas, ac infuſum iis ſuperfundendum curauerat, quo facto omnes ſimul ore exceperat. Fieri itaque aliter non poterat, quin ſuborta haut leui nauſea ac deglutitionis difficultate, omnes in oris cauo hinc inde circumuoluerentur; interim tamen, ſpe ſanitatis recuperandae incitatus, eadem illas ratione ingurgitauerat, ac, incongruo timore perterritus, per biduum omnem rem mihi occultauerat, bis licet easdem euomere debuiſſet. In ea quippe fuerat opinione, unicam iſtam, pilulas ſumendi, ſupereſſe methodum, nec ego ridiculum eiusmodi deglutitionis modum ſuſpicari potueram, quia toties antea aeque, ac in hoc morbo pilulas aeger deuorauerat, neque tamen ullius moleſtiae, inde perceptae, mentionem iniecerat.

Veſpertinis tandem huius diei *horis* nauſeam ingen-

gentem, ac poſt ea uomitum, a pilulis prouocatum, mihi enarrabat. Quamuis uero mente comprehendere nequirem, quo pacto pilulae uomitum in homine, iis adſueto, excitare poſſent, attamen de indaganda cauſſa ſollicitus, iterata uice pilulas exhiberi, me praeſente, iubebam. Atque tum lepidam iſtam modo deſcriptam deglutiendi encheireſin coram intuebar. Oſtendebam ipſi uulgarem pilularum deglutitionem; ille uero, ſe nimium iam in easdem faſtidium concepiſſe, reſpondebat; quibus auditis, me pilulas in molle electuarium commutaturum, regerebam.

Fortuitas haſce minutias eum in finem retuli, ut, quot uariis modis in minimis a medico aeque, ac aegroto, ab hoc ſcilicet in adſumtione, ab illo uero in modi, medicinam capiendi, indigitatione, peccari queat, palam fieret.

Sequitur iam *electuarium de Gannanaperide*:

Rec. pulu. patr., in ſubtiliſſ. pollin. trit.
dr. II.
ſyr. fragor.
d. alth. Fernel. ana q. ſ.
Laud. opiat. gr. II.
M. f. l. a. electuarium molle, quo de agitato ſingulis trihoriis capiat cochlearis quantitatem, ſuperbibendo ſingulis uicibus parum infuſi.

Ceterum *circa ueſperam* ad mediam usque noctem ualida, ac plerumque ſicca tuſſi aegrotantem uexatum fuiſſe audiebam, quam tamen, *d.* 8. *Fe-*

 bruar

bruar., quum ego mane adcederem, neſcioqua ex cauſſa, diſſimulabat. Symptomata eadem, quae heri ac nudius tertius adfuerant, ſed uires minores; aluus nychthemeri ſpatio clauſa, & urina citrina, cruda, ſine ſedimento permanebat; medicamenta eadem.

Circa horam 10. *ueſpertinam* cito me adcerſeri iubebat. Inueniebam aegrotum fortiter ac adeo profunde tusſientem, ut ſtrepitum quemdam, quaſi ab haerente intus pure, in pulmone efficeret, cui ſymptomati dyspnoea (*k*), licet paullo mitior, quam antea, iterum adcedebat. Pilulas d. d. 1. Februar. iterum conficiendas curans, ut confeſtim duas deglutiret, monebam.

Nocte media tusſi atque dyspnoea euaneſcentibus, aeger in ſomnum placidum incidebat.

D. 9. *Februar.* mirum quantum uires fractas (*l*) re-

(*k*) Vt febrium adceſſiones, non numquam ſolito grauiores reuerſae, ſic & dyspnoea externum *frigus* admiſſum causſam fere generalem adgnoſcunt, quo de phaenomeno, ineuitabile damnum aegrotis inferente, optume Mortonus *l. c. L.* 2. *cap.* 6. *p. m.* 137. haec uaticinatus eſt: " Omnis putrida febris licet ea mere ,, ex adcidenti catarrho, uel percepto frigore proue- ,, niat, calefaciendo pulmones, phthiſin uehementer ,, promouet ".

(*l*) Poſt quemlibet ſuperati anhelitus paroxysmum tantopere uires in noſtro labaſcebant ut ad eas aliquo modo reſarciendas, nedum plene recuperandas, integro ad minimum octiduo opus eſſet. Quum uero unius non numquam hebdomadis ſpatio bis uel ter dyspnaea re-

Digitized by Google

reperiebam; oculis regis inuerecunde ac pertinaciter omnes adſtantes intuebatur; balbutiente lingua unum alterumue uerbulum proferebat; pulſus quidem aequalis, ſed ille, quem antiquo more myurum adpellare ſueuimus; urina citrina, cruda, ſine ſedimento; ſputum purulentum, glutinoſum, e dilute flaueſcente uirideſcens, foetidum, ſaporeque putrido ipſi aegroto aduerſum, interim aequale, nullis ſtriis interſtinctum; aluus hac ſimiliter die clauſa. Linctum ex oleo lini iam copioſius, binis nempe quibusuis horis, ac electuarium, omni trihorio, ad cochleare unum, ut lamberet, praecipiebam.

Ceterum hac praecipue die ueram febris periodum, phthiſicis omnibus familiarem, animaduertere licebat. Quum enim hora 9. ante meridiem, & hora 5. pomeridiana lac, recens mulſum, cum pane bis cocto, ſuopte ex arbitrio comediſſet, per horam ſingulis uicibus calorem conflatum febrilem, cum pulſu ſatis celeri, & hunc excipientem ſudorem denotabam. Qua luculenta, ac in ſenſus incurrente obſeruatione, noſtrum conuincebam, ſudorem ſuum non ſomni, ſed febris comitem indiuiduum esſe, quod antehac praefracte negauerat. Ille uero ſudor, a febrili colliquante & copioſisſimo diuerſus, durante ſomno, in quo magis aequalis humorum diſtributio, ac transſpiratio aucta, promanans, blandus erat, uires-

recurreret, adeo uires eius ſucceſsiue frangebantur, ut neque ad morbum amplius ſuſtinendum, neque medicinam ferendam, ſuffecturae ſatis, mihi uiderentur.

Digitized by Google

que minus deſtruebat. Tum igitur, ut ſingulis uicibus, per bihorium ab ingeſto alimento, ſibi ab electuario caueret, eidem iniungebam, ne cortex, ipſa in febri datus, plus damni, quam emolumenti adferret.

Veſperi poſt lentae adceſſionem febris urina erat turbida, craſſa, cum ſedimento ex albo rubente. Ad aluum apertam reddendam, clysmum d. d. 17. Januar. reiterandum curabam. *Hora* 10. *ueſpertina*, licet tusſis non adeo fortis exſiſteret, duas pilulas de ſtyrace ſumebat. *Nocte* ſuauem ac reficientem ſomnum habebat.

D. 10. *Februarii* clysmum praecedente ueſpera adplicatum non eſſe, enarrabant adſtantes, quoniam aeger huic remediorum generi aduerſaretur. Inuito igitur nihil moleſti obtruſurus, pilulas d. d. 29. Januar. repeti iubebam, quibus de hac ueſpera octo, altero autem mane ſeptem caperet.

Quo ſequenti *mane de* 11. *Februarii* facto, aegrotum egregie refectum inueniebam, ſputum purulentum, nullo amplius foetore praeditum, ad albedinem magis uergebat. Strepitus etiam in pulmonis ſiniſtro lobo, d. 8. Februarii notatus, iam euanuerat. Adpetitus bonus; nec ſitis magna; urina copioſa, pellucida, citrea, ſine ſedimento. Medicamenta eadem, linctus ſcilicet ex oleo lini, electuarium de Gannanaperide (*m*), & infuſum fae-

(*m*) Quali nomine arborem, qua de cortex deſumitur, adpellari, alios inter praeſtantiſſimus WERLHOFIUS *libr. cit. ſect.* 2 §. 2. *p.* 31. *not. a.* memoriae prodidit.

ſaepius memoratum, neque minus una pilula de Styrace, altera quauis ueſpera deglutita. Diaeta ex ouo ſorbili, ac iuſculorum tenuium parca quantitate, conſtabat.

Verum omnibus tamen hiſce efficere non poteram, ut uel tantillum diebus 12. 13. 14. 15. 16. & 17. *Februarii* propior ſanitati fieret, quin ſucceſſiue potius uiribus fractis, oſſibusque a muſculis fere denudatis, ſputum foetidum ac uiride iterum pergebat, facies Hippocratica adpropinquabat, ac dyſpnoea pene continua reddebatur, ſub cuius impetu tusſicula quidem leuis, ſed ſine excretione aliqua fruſtra ſaepius tentata, miſere noſtrum excruciabat; fere etiam perpetuo hiſce diebus ſomno ſepultus iacere uidebatur. Ut autem anhelationi efficacius quodam modo conſulerem, hoc reliquis medicaminibus, loco pilularum de Styrace, ſuperaddebam:

Rec. Gumm. kikekunemalo pulueriſ.
ammoniac. pulueriſ. ana dr. II.
maſſ. pil. de Styrac. gr. VI.
M. f. l. a. pilulae ex ſcrup. I. num. XII., dealb., deglutiat qualibet ueſpera ſex.

Quibus omnibus fiebat, ut *d.* 18. *Februarii*, cuncta ſymptomata, ac ſeorſim anhelitus, benigniorem laruam induiſſe uiderentur.

Aſt *circa meridiem d.* 19. *Februarii*, aegrotum uiſitans, mirum dictu quantum eumdem ab orthoipnoea pertinacisſima, ac ſputo plane ſuppreſſo debilitatum, & fere ſuffocatum reperiebam. Cauſſas huius

tam inopinato ſuperuenientis ſymptomatis, tamque repente inuerſae ſcenae, funeſtum prae ſe ferentis omen non niſi diu circumagitatis quaeſtionibus elicere licebat, donec tandem adſtantes, & uxor noſtri confiterentur, aegrum, longioris pertaeſum medicaminum uſus, per tres integros dies ne tantillum quidem de linctu ex oleo lini ſumſiſſe, ac artus frequenter e lecto, frigoris ſuſcipiendi cauſa, protraxiſſe, a quibus non tantum anhelatio iſta, quae recto fieri thorace debet, quamque ὀρθόπνοιαν graece nuncupare conſueuimus, ortum duxerat, ſed ſputi etiam purulenti excretio praepedita fuerat. Ceterum omnibus praecedentibus diebus aluum apertam, coactam licet, expertus fuerat. Pulſus ſub diro hoc phaenomeno inaequalis, & citatus, cum calore interno forti, extremis frigentibus, erat. Nulla tamen neque capillorum defluuii, neque unguium incuruationis, nec pedum tumoris, nec diarrhoeae ſigna adhuc deprehendebantur.

Quamuis igitur ex hiſce perſpectis ineuitabilem ob infirmas uires mortem noſtro apud me determinare deberem, ne quid tamen intentatum reliquiſſe uiderer, ex monito Plateri (*n*) ſequens, orthopnoeam, quantum fieri poſſet, mitigaturus, propinabam:

Rec. ſpir. anis. unc. I.
mell. ſcillit.
aq: cinamom: ſimpl: ana unc: ſem:
M. hauriat, omni horae ſpatio, de agitata miſtura, cochlearis dimidii quantitatem, uel per

(*n*) *Obſeruat. medicinal. pag. m.* 167.

per ſe & ſolam, uel ſuperbibendo parum in-
fuſi calidi.

Ab huius curatiore uſu *hora ſeptima ueſpertina* magis quietus, cum omnium ſymptomatum egregia remisſione, euadebat. Ac pulſus quidem aequalitatem ſuam recuperauerat, aeſtus autem idem plane, extremique tam manuum, quam pedum digiti cum ſudore copioſo frigido frigebant, ac, reſpiratione liberiori per Dei gratiam reddita, continuatus linctus ex oleo lini excretionem puris uiridis, aequalis, globoſi, quamuis nondum multi, reuocauerat, quod tamen ſub quauis exſpuitione ſero tenui innatabat, & ſuper illud in moleculas quaſi laceratas breui a ſe inuicem ſecedebat, ac fere disſoluebatur.

Nocte autem idem ipſe linctus nil ſputi purulenti producere poterat, hinc magis hoc magisque ſpisſeſcebat. Inquietus ob praecordiorum anxietatem, ac tusſiendi impotentiam, inſomnis permanebat. Inter haec ſudores copioſisſimi, colliquatiui, frigidi, e toto corpore erumpentes, ſeorſum faciem, ac manus, & pedes, (qui omnium frigidisſimi ac emortui fere adtingebantur,) permulto madore obtegere ac inuoluere deprehendebantur. Enimuero, quod pesſimum erat, infauſtum, medio noctis decurſu, profluuium aluinum, materiam aquoſam, ac ueluti uiſcida pituita conſtantem, fundens, inuitum impetebat adeo, ut rerum inſcius ſtragula inquinaret.

Quod quum ad *horam* usque 7. *matutinam diei* 20.

Februar. perduraſſet, ultro ſe ſiſtebat. Qua hora aegrum inuiſens, deſcripto malorum agmine obrutum reperiebam. Summa, aliquid exſpuendi impotentia aderat, nec ulla ingerendi iuſculi, aut alius ſimilis tenuiſſimi alimenti, cupido. Pulſus interim aequalis, extremaque, ſub ſudoris licet continuatione, calida reddebantur.

Sputi quando admodum exigua molecula poſt multos tandem labores eiiciebatur, tenaciſſimum idem erat, ex uiridi flaueſcens, ſero multo tenui innatans, particuliſque atro-fuſcis, quaſi terreſtribus, intermiſtum, adeoque inaequale, aſt inodorum. Ne vero illud prunis iniicerem, foetoremque forſan hac ratione experirer, cognatorum ſuperſtitioſa religio prohibebat. Interim ut pro uiribus materiam, in ductibus ueſiculiſque bronchiorum aëriis haerentem, inciderem, eidemque exitum forte faciliorem pararem, ſuaſoribus *Wratislauienſibus Medicis in hiſt.*, hoc propinabam:

Rec. ol. amygd. dulc. rec. ſ. ign. unc. II.
ſperm. cet. recent. dr. VI.
liqu. C. C. ſuccinat. dr. VI.
M. f. leniſſimo ſuper igne agitanda miſtura, qua de ſingulis uicibus calefacta ſaepius capiat dimidii cochlearis quantitatem.

Huius, quum *hora* 4. aegrum uiſerem, miſturae calidae duo circiter cochlearia ille hauſerat, quum cam-

eamdem, palato nimis lubricam atque nauſeoſam exiſtimans, renueret, & priorem de oleo lini linctum repeteret. Symptomata prorſus eadem perſeuerabant; aluus moderate laxa, fluida; pulſus celer, paruus, atque ualde inordinatus. Potionem, praecedenti die praeſcriptam, auide hauriebat, anhelationis ex ea proſcriptionem, ad minimum egregium leuamen luculenter ſentiens.

Veſperi diarrhoea cum febris adceſſione uehementi, totam noctem faeuientibus, reuertebatur, mentisque ſub eo tempore graues abalienationes, ac deliria experiebatur, quae tamen aliquo modo a potione domeſtica, ex hydrogala tenui, addito pauco ſale prunellae, compoſita, calideque ſumta, refraenabantur. Extrema calida manebant.

D. 21. *Februar.*, *mane*, diarrhoea remittente, aeger ad minimum motum in ſuffocationis metum incurrebat, quieto autem ſitu detentus, tolerabili de anhelatione conquerebatur. Pulſus celer, adeo paruus, ut non niſi longo tactu explorari poſſet, mollis, undoſus, attamen aequalis. Sputum, fere ſuppreſſum, adhuc erat pauciſſimum, & poſt diu protractos tusſiendi conatus excretum, albidum, aequale, cum multo ſero, inodorum. Medicamenta eadem, potio ſcilicet aſthmatica Plateri, d. d. 19. Febr., linctus ex oleo lini, & infuſum d. d. 1. Februar., in primis autem frequenter aquam illam lactis nitroſam, cuius d. 20. Februar. in fine mentio facta eſt, calide bibebat.

Nulla autem ratione euitari poterat, quo minus diarrhoea *ueſperi* denuo reuerteretur, quae, quum

aeger ex noua, eaque uehementiori febris putridae adceſsione continuo fere deliraret, ipſo inſcio, ac inuoluntarie contingebat. Neque, dum quandoque tranquillus, phantasmatibus occupatus, iacebat, ullo ſomno *nocte* proxume ſequenti reficiebatur.

Quibus ex cauſsis *d.* 22. *Februar.* res omnis peior, febre licet aliquantum ad externum ſenſum remittente, exſiſtebat. Pulſus paruus erat, ac nunc quidem tactu bene percipi, nunc autem nulla ratione explorari poterat, iam parum maior, plenior, celerior, iam uero minimus, myurus, celerrimus.

Mane hoc aeger exſpuere iterum materiam ſpiſſam, flauam, aequalem, ſero commiſtam, foetidam, incipiebat. Aſt, uiribus iam nimium fractis, ac pure plurimo in ſanguinem illato, poſt unius horae leuem remisſionem noua febris exacerbatio ſuccedebat: Vrina inter haec omnibus prioribus diebus erat cruda, citrea, pellucida, ſine ullo ſedimento; maxumum aſthma ad minimam in lecto ſitus mutationem; deliria, peruigilium, praecordiorum anxietates, loquela interrupta, & minus ſonora; uehemens praeter ea ſub aëris inſpiratione materiae in pulmonibus, praeſertim ſiniſtro, commotio; diarrhoea perdurans; in carpi & metacarpi dorſo frigus, cum ſudore gelido, ceteris extremis calidis; manuum ac pedum tremores; ſudor faciei frequens, magnis guttulis confluens. Quae ſingula efficiebant, ut omnis conualeſcendi ſpes ipſi aegrotanti excideret, ac, mente per interualla, quantum dyſpnoea id permittebat, quie-

Digitized by Google

quieta, a ſummo auide Archiatro, animae ad caeleſtia auocationem ingenue peteret.

Poſt meridiem anxietatibus adauctis, deliria, bonis cogitationibus interſperſa, celerius adpropinquabant. Interni mitigationem aeſtus deſideranti, hoc potus loco concedebam:

Rec. Pluuiae purae unc. IV.
acet. prophyl. ſylu. unc. ſem.
ſyr. acetoſ. citr. unc. I.
M. hauriat uel dimidii, uel integri cochlearis quantitatem, quantum uidelicet aëris ingreſſus connivere uelit.

Bene aeger hanc potionem ingurgitabat, quum cetera, u. gr. aquam lactis nitroſam d. d. 20. Februar. & linctum renueret.

Hora interim *ueſpertina decima* maior anhelatio, grauior febris, pulſus intermittens, impotentia hauriendae potionis quoque nouisſimae, & exſpuendi plenaria; convulſiones quaedam extremorum leues, maxillaeque inferioris ad ſuperiorem adtractio uiolenta, diarrhoea crebrior inuoluntaria.

Hora undecima magis tranquillus euadens, peracto uix ſemihorae ſpatio, beate & placide animam efflans, quaſi obdormiebat.

SCHO-

SCHOLION.

Ex primis relationis huius lineis concludere iam, lector amice, poteris, minus pleuritide, ſed *pleuripneumonia* potius aegrum noſtrum laboraſſe. Quum enim ex eadem haemoptöe oboriretur, facile arguere poſſumus, pulmonem, ad minimum ſiniſtrum huius lobum, pleurae adnatum fuiſſe. Quod etiam eo magis credendum, quoniam pectus ille naturaliter depreſſum & arctum habebat, atque a longo tempore anheloſum ſpiritum, aëre praecipue pluuioſo, craſſo, uentiſue agitato, ducebat. Quo fieret, neceſſum erat, ut minus pulmones expandi ualerent, ſed in minima illorum ſub äeris ingreſſu facta extenſione pleuram adtingere deberent. Vbi autem pulmonis cum pleura concretio, ibi ſemper pleuripneumonia, non pleuritis, nec peripneumonia, locum habere, contingereue poterit. Facillime quippe partes, magis uicinae ſibi redditae, inflammari queunt, alterutra earumdem φλεγμόνῃ correpta.

Certiorem utique pleuripneumoniae huius praeſentiam haberemus, quodſi aegrotans, uel adſtantes, alicuius tuſſis, uel ſiccae, uel humidae potiſſimum, ut genarum rubentium aut grauis obtuſique in pectore doloris, quae ſymptomata dolori pleurae punctorio iuncta fuiſſent, recordari potuiſſent.

Ex hoc aeger morbo nullis plane remediis effugiens, nec tamen bene liberatus, die ſexto, adeoque ante criſeos beneficium, in haemoptöen incidit, atque nigricantem, prout relatum adcepi,

pri-

primo ſanguinem, qui, arteriolis inflammatis ruptis, extra eaſdem tam diu in pulmonum bronchiis haeſerat, donec imbutus hocce colore eſſet; dein uero rutilum ſpumantemque extusſiuit. Quicumque enim, *COVS. V. aphor.* 13. ait, „ ſpumantem „ ſanguinem extusſiunt, iis ex pulmone educi- „ tur *(a)* ".

Hunc ſanguinis e pulmone, praeſertim ſiniſtro, effluxum prior medicus, quamuis ſanguinem ſuperne efferri, qualiscumque ſit, malum ab HIPPOCRATE *IV. aphor.* 25. praedicetur, medicina balſamica, oleoſa ac conſolidante, minime uero conſtringente, terreaue cito tollere, ſi potuisſet, debuisſet. Omnium enim adſtringentium cura in hoc morbo palliatiua eſt, & plus nocet, quam prodeſt, ceu optume D. D. Jo. ANDR. SCHMIDIUS *(b)* probauit. Ut taceam, curam hanc mere empiricam eſſe, dum cauſſae morbi non obuium eunt huiusmodi medici.

Ego itaque, quum in conſilium uocarer, enatum iam iam pulmonis praecipue ſiniſtri ulcus, cum febriculis uagis ac incertis, ipſiusque uires aegroti nimium infirmas atque fractas inueniebam, quae morbo, per totum hyemis decurſum, uix ſuſtinere, medicamentorumue euacuantium actionem ferre poſſe uidebantur. Etenim conſenſu omnium, ac perhibente MORTONO *(c)*; phthiſis auctumnali, nel

(a) Uid. BELLINI *de morb. pectoris, cap. de Haemoptöe. in Coniunctis; opuſculor. pract. p. m.* 565.

(b) *In disquiſit. de haemorrhag. aliisque fluxibus, adſtringent. non ſiſtendis, p.* 22. *ſqq.*

(c) *Phthiſiolog. l.* 2. *cap.* 6. *p. m.* 136. 137.

Digitized by Google

„ uel hyberno tempore, utut diligenti regimine, „ & conuenienti medicaminum uſu releuetur, „ numquam tamen ſine uerni aëris, & adpropin„ quantis ſolis beneficio, perfecte curari poteſt. „ Siquidem ut hoc ueſiculoſum parenchyma con„ tinuo fere ab äere penetratur, & in ultimis re„ ceſſibus, perpetua novi aëris per reſpiratio„ nem intus atque foras acti ſucceſſione, naturae „ lege, diſtenditur, ita praeſens aëris ſtatus non „ poteſt non eſſe maxumi momenti, quando huius „ adfectus curationem uel praepediat, uel promo„ ueat, prout uel ſalubriter ſiccus, atque tepi„ dus, uel morbide frigidus, & nebuloſus com„ peritur. Adeo ut debita aëris conſtitutio non „ ſolum male adfectorum pulmonum praeſerua„ tioni; uerum etiam curationi magis conferat, „ quam uel ſpecioſiſſima medicamentorum conge„ ries, quae non adeo continuo, uel pari copia, „ in ſanguinem, & adfectam partem ingeri poſ„ ſunt, atque aër ſolet. Ideoque curatio phthi„ ſeos tempore hyberno, & auctumnali, fruſtra „ exſpectari ſolet, dum ſcilicet aëris ſtatus, inſa„ lubriter frigidus, craſſus, atque humidus mor„ bum magis continuo promouet, quam uel ap„ tisſimorum medicaminum adparatus ei poſſit „ obſiſtere, acie ſcilicet potentisſimorum reme„ diorum hoc ritu, per incommodum aëris ſta„ tum uehementem obtuſa & debilitata". Hac„ tenus ille.

Nihilo tamen ſecius, re ad diem usque undecim. Februar. non infeliciter geſta, aegroque pro morbi conditione ſatis bene ſe habente, magna ſpe

ſpe alebar, fore, ut morbum ad proxumum uer protraherem, quo facto, equitationis curam, iunctis remediis balſamicis, infuſis uulnerariis internis, qualia u. gr. diebus 15. Januar. & 1. Februar. praeſcripſeram, ac corticis Peruuiani ſufficienti, tam quod copiam, quam ſedulam in primis repetitionem adtinet, uſu inſtituere decreueram. Ut enim ab omni retro aeuo moderata exercitia, praecipue ante cibum uſurpata, phthiſicis ſummo emolumento eſſe futura, praeſtantiſſimi Medici *(d)* ſuaſerunt, ſic ſeorſim SYDENHAMIUS *(e)*, BOERHAAVE *(f)*, ac permulti alii e recentisſimis medicis, equitationem, multiplici rationis pondere, rerumque longo uſu ducti, admodum proficuam iudicarunt, eamque maximis laudibus condecorarunt.

Quo autem pacto factum ſit, ut oleum operamque perderem, iis patebit, qui incongruam ſane, ac infeliciſſimam illam linctus ex oleo lini omisſionem denotare uelint (*uid. d.* 12. *ad* 17. *Februar.*); quam ineuitabilis ac plenaria puris in pulmone retentio ſequeretur, necesſum erat. Vnde adgrauatis notabiliter fiſtulae ſpiritalis ultimis, iisque plurimis ramulis, ac repleto ueſicularum pul-

(*d*) Conf. MORTON. *phthiſiol. l.* 2. *cap.* 8. *pag. m.* 169.

(*e*) Qui tantam diaetetico huic remedio uirtutem tribuit, ut adfirmarit, tam certe uectionem in equo phthiſin curare, quam certe cortex Peruuianus febres intermittentes auferat, ut contractis ex eo uerbis perhibet D. D. ALLEM *ſynopſ. Medic. pract. cap.* 4. *artic.* 21.

(*f*) *Aphor. de cognoſc. & curand. morb.* §. 1210.

pulmonarium agmine, omnis harum ſub noui aëris ingreſſu expanſio ceſſare, atque dyspnoea inſuperabilis excitari; communicatis uero ſucceſſiue, & tot dierum interuallo, purulentae materiae moleculis cum ſanguine uenoſo, miniſterio uenularum abſorbentium in pulmonibus, ille a tanta acrimoniae purulentae foetidaeque copia grauiter irritari, ac funeſta febrium putridarum acutiſſimarum periodus introduci debebat, quorum ſingulorum furore atque uehementia ſymptomatum, paucae adhuc in aegrotante ſuperſtites uires cito ſublatae, breui ſequuturae, eidemque uiolentae morti uiam certiſſimam ſternebant.

In triſtem illam ſententiam adductus fuerat noſter, quoniam ſermo aliquoties antehac de uariis modis, quorum beneficio phthiſici cum ſanitate in gratiam redire poſſent, inciderat. Relatum quippe fuerat, fieri id, ſi tuſſis benignae auſpicio, puris ſenſim eiectio e pulmone diminueretur, nihil inter ea puris in ſanguinem inueheretur, febris lenta hinc exſtingueretur, uires aegroti ſub his conatibus, adpetitu conſeruato, aut reuiuiſcente, ſenſim adaugerentur, atque hac tandem ratione ulcus conſolidaretur. Quas indicationes quum aeger in ſe nondum ſatis perſpicue impleri obſeruaret, longioris morbi decurſus moraeque pertaeſus, ſtudio linctu ſepoſito, infauſtis auibus, puris exſcreationem diminuere uoluerat, ut ante ueris aduentum de recuperata ſanitate gloriari poſſet; ſed quam damnoſe id patrarit praecipitis conſilii, ſuperioribus expoſita demonſtrant.

Supereſt, ut quaedam hiſce corollaria ſubiungam:

Digitized by Google

1. Poteſt a ualida purgatione, inflammatio uel membranae pleurae, uel pulmonis, uel utriusque ſimul, concitari, detracta ſanguini, deorſumque depulſa ſeri laudabilis quantitate. Quae oppoſita prorſus cauſſa euadit illi, quam in *Act. Nat. Curioſ. IV. obſ. XCII. pag.* 344. *ſqq.* propoſui, ubi a uomitorio, ſanguinem uerſus pectoris uiſcera iuſto plus ſurſumque ſubuoluente, pleuripneumoniam obortam memoriae prodidi.

2. E pleuripneumonia ſputum ſanguineum, malum: ex ea eadem haemoptoë, peius.

3. Magni uſus eſt diſtinctio inter pleuritidem, peripneumoniam & pleuripneumoniam. Vt enim in pleuritide ſola membrana, thoracem inueſtiens, ac in peripneumonia ſolus pulmo inflammatur, pleuripneumonia autem compoſitum ex utraque hac inflammatione morbum indigitat: ita in pleuripneumonia & peripneumonia ad ſuppurationem plerumque adtendere, in pleuritide uero numquam pus exſpectare medicum, mediante tuſſi, oportet, ut reliqua tum ſigna pathognomonica, tum indicationes curatiuas, in uariis argumentis ſibi inuicem contrarias, taceam.

4. Operae pretium profecto foret, obſeruationes de tribus hiſce morbis, a probatiſſimae fidei practicis calamo conſignatas, ab inuicem curate ſeparare, & quamlibet hiſtoriam ſub ſingulari ſua morbi ſpecie referre. Quo facto ſpes esſet, fore, ut tandem ingens illa confuſio horum morborum melius in poſterum euitaretur.

5. Moderate laxa aluus ſerum ſuperfluum, noxiasque erudientes, cum laeſarum adleuamento ſymptomatum educit: purgatio ualida nimium ſeri expellens, ſanguinem coagulat, & ad febres

tam intermittentes, quam inflammatorias diſponit.

6. Haemoptoë in pleuripneumonia hac ante criſin enata, confirmat uenae ſectionis, in principio febrium inflammatoriarum & in primis thoracis membranis atque uiſceribus infeſtarum, maxumam neceſſitatem, quidquid etiam medici αἱματοφόβοι occlamitent. Hinc rectiſſime diligens BAGLIVUS (a) " Laxitas procuranda eſt in fibrillis „ pulmonum, inflammatione criſpatis, primo „ per phlebotomiam, ſi neceſſitas urgeat, etiam „ repetitam: ſanguinis enim compagem nihil citius, magisque laxat, quam phlebotomia". Quid? quod mittebat idem optumus Vir (b) ſemel, bis, aut ter, ſanguinem in pleuritide, ob pulſum intermittentem periculoſa uiſa. Huic inſtar omnium iungere liceat medicinae ſyſtematicae principem, LAUR. BELLINI, qui auream hanc ſtabilit propoſitionem (c). „ Misſio ſanguinis praecipue dimouet, atque abripit, e ſummis canaliculis capillaribus, quidquid iis intime haeret „ (d.), dummodo uis illius cochaeſionis minos „ ſit momento uelocitatis ſanguinis: quod ſi maior „ fuerit, misſio ſanguinis ſolum refrigerabit, atque humectabit, ex quo demum fieri poterit, „ ut quidquid haeret ſummis uaſis, dimoueatur, gu-

(a) *Prax. Med. L, 1. p. m. 39. in operib.*

(b) *l. c. p. 34.*

(c) *De ſanguinis misſione, propoſit. V. p. 95. opuſc. pract. Lipſ.* 1731. 4. *editor.*

(d) Hunc ſanguinis in ultimis arteriolis capillaribus impacti continuum impulſum omnes conſtituere inflammationes, adeoque pectoris, naturali propoſitionum fluxu commonſtraui olim in disſ. inaug. *de inflammationis ſanguineae theoria mechanica*, §. 15. 19. 22. & 26.

Digitized by Google

„ atque abripiatur“. Quam hiſce inter alia argumentis deinceps (*e*) ſolidiſſime demonſtrat: „ ſit morbus aliquis intra pulmones, qui aut diminutionem quantitatis ſanguinis, aut augmentum uelocitatis intra ipſos, aut aliquid eorum, „ quae expoſuimus ad initium huius (*ſcil. propoſ.* 6.) „ exigat, dico, faciendam miſſionem ſanguinis, „ licet nec uena, nec arteria pulmonaris habeant „ communionem cum uaſis ſanguifluis reliqui corporis, quod patet. Quum enim ſanguis, qui „ ducitur in pulmones, ſit ille, qui fluit per uniuerſum corpus; quo minor eſt quantitas uniuerſi ſanguinis, eo etiam minor erit illa, quae per „ pulmones ducitur, adeoque etiam haec ipſa minuetur; ſed diminuta quantitate minuitur preſſio, & haec diminuta creſcit uelocitas, & datur occaſio particulis ſanguinis, ut intime dimoueantur; & refrigeratur, & humectatur, & „ dimouetur, atque abripitur, ſi quid haeret“. Legatur atque relegatur tota *propoſitio quinta & ſexta.*

7. Non opus eſt, multis uerbis imperare haemoptyicis, ut ab omni motu, per aliquod adhuc a ſedato ſputu ſanguineo tempus, ſibi ſedulo caueant: propria enim ipſorum experientia confeſtim illis hunc canonem inculcat. Siquidem eiusmodi corporis motus, quantuluscumque etiam ſit, reſpirationem naturali citatiorem profundioremue faciens, atque ſanguinis in pulmonum lobis, horumque tam bronchialibus, quam pulmonaribus arteriolis, circulum adcelerans, maiorem huius in uaſa illa arterioſa ultimi generis niſum excitat, quam nouiter conglutinata, recenteſque fibrillae de-

(*e*) *loc. cit. propoſ. VI. pag. m.* 107.

debiles, necdum ſatis firmae, ferre poſſunt. Fiet itaque in eodem ſemper uaſculo repetitum uulnus, difficiliorem ſenſim admittens, toties rupta cicatrice, conglutinationem.

Inter omnia medicamenta, contra haemoptoës repetitos inſultus a priore medico ordinata, nulla tolerari poterunt, niſi ſpecies pro infuſo de d. 9. Decembris, tinctura acidula d. d. 11. ac 26. Decembris, & pulueres forte d. d. 21. Decembris, modo in ſpeciebus diatragac. ſemina frigida maiora adhuc recentia fuerint.

9. Caueat ſibi quis a ſpermate ceti, licet ſatis recens nec rancidum ſit, quando ſputum tenax & nimis uiſcidum eſt: adaucta enim ſpiſſitudine, incraſſat, omneque tum ſputum fere coërcet. Qua de re prolixius egi in *hiſtoriae ac medelae ratione obſeruationi de pleuripneumonia dextri lateris, uiceſimo octauo demum morbi die perfecte ſoluta*, in *Act. Nat. Curioſ. Vol. v.* propediem prodituro, occurſurae, ſuperaddita.

10. Quamuis uenae inciſionem in haëmoptoë minus reprobem, quin immo ſaepius neceſſariam cenſeam, quilibet tamen praemiſſam hiſtoriam perlegens iudicabit, tot haemoptoës recurſibus ſanguinem nimis ſeroſum redditum, amiſiſſe naturalem ſuam renitendi facultatem, ut adeo actio uaſorum, debilem huius uim multis paraſangis ſuperarit. Quare heic conuenit VALLERIOLLAE iudicium *in hiſtoria* adductum. Trahi quoque prono rationis flumine huc poſſunt, quae BELLINI (*f.*) pronunciauit: „ quia tenuitas ſanguinis cum ca„ lore coniuncta, penetrat quoſcumque poros, „ &

(*f*) *de morb. pector., cap. de haemopt. pag. m.* 563., *in opuſc. pract.*

Digitized by Google

„ & contractio maior maiorem impetum conciliat,
„ hic ſanguis, quum eſt eiusdem conditionis,
„ transſudat, uel transcolatur".

11. Quando a cauſſa noua ſuperueniente externa, u. gr. frigore, &c. tuſſis exaſperatur, opiata in phthiſi utique conducunt, modo tam raro, tamque parua copia offerantur, quae puris exſcreationem non impedire, multo minus plane ſupprimere, queat.

12. Ante quam parata e ſcillae marinae radice praeſcribas, u. gr. acetum ſquillit. aut oxym. ſcillit., adtendendum eſt, an nouiter confecta ſint haec medicamenta, an uero per aliquot ſeptimanas iam ſteterint. Cum tempore enim euadunt multo leniora, guſtuque mitiora, licet principio forti acredine donata fuerint.

13. Quo laxior ac debilior partium ſolidarum ſtructura eſt, ſiue a natura, ſiue a morbi conditione dependeat, eo facilius humores glutinoſi euadunt ab admiſſo frigore externo, emiſſaria arterioſa conſtringente, occludente.

14. Vere Lommius: „ febres intermittentes, ſuppurationem ſequutae, cum multis eſſe ſudori-
„ bus conſueuerunt".

15. Quamuis noſtro in aegroto cortex ſperatam praeſtare non potuerit operam atque auxilium, morbo ex ſua natura, & multas ob cauſſas, ex hiſtoria petendas, funeſto: multiplici tamen experientia teſtari poſſum, eum tam in ipſo haemoptoës adceſſu, quam etiam in phthiſi, ab haemoptyſi ortum ducente, egregie profuiſſe. Quare, ut multos alios, ipſumque *phthiſiologiae* optimum auctorem, Mortonum taceam, ſolum nunc celeberr. Werlhofium adduxiſſe ſufficiat,

qui in laudatis ſaepius *Obſeru. de febribus ſect.* 5. §. 9. *Obſeruat. partic.* 45. & 46. *p.* 252. & 253. bina notatu digna exempla rei cum cortice Peruuiano proſpere geſtae deſcripſit.

16. Sputo, ualde ſuppreſſo, ſub uiribus admodum infirmis, ſine ulla cauſſa manifeſta, refluere iterum incipiente, malam: deperditum enim ac abolitum prorſus organorum, reſpirationi dicatorum, tonum indicit.

OBSERVATIO XXXIII.

PHTHISIS PVLMONALIS, E SVPPRESSA ARTHRITIDE.

IVdaeus quinquagenarius, ſanguineo-phlegmaticus, obeſus, laute uiuens, potusque ſpirituoſos amans, a multis abhinc annis doloribus podagricis uehementer obnoxius erat. Tribus hic ſibi ſuccedentibus auctumnis tusſi humida, uehementiore, uernis menſibus paullo mitiore, uexabatur.

Auctumno demum *anni* 1735. maiori eadem conatu longiorique mora infeſtans, podagrae uim, initio alias Nouembris, Octobrisue fine quotannis, ſolito grauiore cum inſultu reuertentis, non frangebat ſolum, ſed & penitus opprimebat. Fieri itaque non poterat, quin cuncta pulmonem uerſus materia morboſa adſcendens, praecordiorum magis moleſtam anxietatem, introrſumque determinatam coarctationem crearet, atque uiolentiori, ac profundiori tusſi excitata, copioſiorem pituitae, quam merum poſt ea pus album ſequebatur, exſcreationem efficeret.

Vt autem odioſis hisce phaenomenis ipſe aliquantum mederetur, adleuiationem in non naturalibus quaerens rebus, ſpiritum frumenti iuniperinum adfatim hauribat. Sed tantum aberat, ut eodem iuva-

uaretur, ut potius, quamuis ſpiritum non numquam liberius ducere ſibi uideretur, *uere* 1736. tusſi rurſum audacta, plus puris exſpueret. Fruſtra quoque a uariis uariam adcipiens medelam, redeunte, *Junii principio*, leni podagrae impetu, ipſa ſub paroxyſmi declinatione, repulſo ſudore, iter menſtruum ſuſcipiebat. Quo facto, tusſis denuo incrementum capiens, nullis plane remediis locum concedebat, permulta licet in itinere ipſi praeſcriberentur.

Redux tandem, *d.* 23. *Julii* auxilium meum implorans, ut nil niſi tusſim lenirem, rogabat. Quod ut ſenſim impetrarem, conſulte ab omni pectoralium dulciumque farragine abſtinebam, praemisſoque ſerio monito de adhibenda in ſpirituoſorum potu, egresſuque in nubilum ac denſum aërem parſimonia, hoc infuſum aquoſum, quo de bis in die aliquot ſcutellas calide hauriret, praeſcribebam:

Rec. hb. ſcabioſ. manip. 1.
fl. bellid. rubr.
arnic. ana manip. ſem.
Inc. gr. m. D.

Neſcius, quid porro factum fuerit, die tandem 14. *Septembris* monebar, ut aegrotantem uiſerem. Adcedenti hic narrabat, ſe initio parum quidem leuaminis ab infuſo percepisſe, haut ita multo poſt uero ex impatientia illud reieciſſe, iucundioremque ſpiritum frumenti iuniperinum recepisſe. Quo inordinato uiuendi genere eo iam res procesſerat, ut perpetuo lecto adfigeretur, uiolentis ſimam tusſim; matutinis præcipue horis, a ſexta plerumque ad decimam antemeridianam ſaeuientem, dein parumper remittentem, haut raro tamen noctem diemque continua ſerie perdurantem, ſuſtineret; quo fieret, necesſum erat, ut conſummata ano-

rexia & apepſia ſuccedente, uires admodum, tabente corpore, debilitarentur, ac quolibet νυχθημέρῳ ultra libras tres purulentae tenuioris ex albo uirideſcentis, ac ſaepenumero per interualla foetentis, materiae non extusſiret, aut exſcrearet, ſed ſuo quaſi pondere & meabilitate eructaret, uel leniſſima ſub tusſicula uelut euomeret. Pulſum aequalem, paullo citatum ac plenum, urinam uero turbidam, ſubrubram, multum albidi ſedimenti deponentem, deprehendebam. Sanguinem igitur a febrilibus motibus liberaturus, praeuio de magis exacta diaeta, iusſu, hoc praeſcribebam:

Rec. Cort. Peruu. unc. 1.
rad. Zedoar. unc. ſem.
contrita ſubtiliter cum pluu. libris IV. decoquantur; decocti calidi unciae tres, omni bihorio, uaſe prius bene commoto, capiantur.

Eadem portio ſpecierum diebus 17. 20. & 24. Septembris repetebatur.
D. 17. *Septembris* decocto hanc esſentiam addebam:

Rec. Esſ. amar. Ringelmanni,
zedoar. ana *dr*. *z*.
ſprit. ſal. ammon. aniſ. dr. 1.
M. D. ter in die 50. guttae.

Reliquo ſtatu morbi eodem exſiſtente, *d*. 19. *Septembris*, aëre ualde crasſo, uentisque agitato & pluuioſo, maiorem ſpiritus difficultatem animaduertebam: quane esſentiam ſtomachicam d. d. 17. Septembris ad paucos dies ſeponens, decocto d. d. 14. Septembris potionem hanc adiungebam:

Rec

Digitized by Google

Rec. expreſſ. millep. ſimpl. Fulleri unc. III.
eſſ. gumm. ammon. dr. III.
laud. liqu. ſyd. ſcrup. IV.
M. capiat reciproce cum decocto, ſingulis bihoriis, cochleare unum.

Ab hoc *d.* 21. & 24. *Septembris* in pharmacopolis reiterato, adleuamentum in pectore ſentiebat.

D. 25. *Septembris*, aluo duobus abhinc diebus occluſa, hoc dabam:

Rec. maſſ. pil. tartar. uſual. ſcrup. I.
form. pil. 12, conſperg. flor. ſulph., dentum hac ueſpera.

Hisce quoque diebus fiebat, ut binis ueſperis piſces dulces, Iudaeorum more cum cepis &c. coctos, asſosque, comedens, non grauem tantum in febrim, cum frigore inſigni incipientem, incideret, ſed utraque etiam uice pectus magis oppleretur, omnisque fere adpetitus in fugam coniiceretur.

Vituperata igitur abſurda aegrotantis adpetentia, in eo eram, ut praemiſſo leni uomitorio, mox deſcribendo, decocti primi d. d. 14. Septembris loco, *d.* 1. *Octobris* ſequens ἔκλεγμα magis efficax deglutiendum propinarem:

Rec. Rad. ypecac. ſcrup. I.
tart. emet. gr. I.
ſyr. roſ. ſolut. dr. III.
M. capiat hoc mane, ſuperbibendo poſt horae quadrantem, potus theae, aut coffeae adfatim.

Rec. Cort. Peruu. unc. ſem.
ſyr. papau. alb. unc. III. ad IV.
quantum ſcilicet ſufficit, ut f. l. a elect.; deglutiat, abſoluta uomitorii operatione, omni bihorio cochlare.

T 5 Idem

Idem ſequentibus quater repetitum eſt diebus.

Sed neque hac ratione, quamuis ab exhibito *uomitorio* inſignem fructum perciperet, atque uiuidiore adpetitu rurſum donaretur, pus, quod a duabus ſeptimanis eadem quidem, qua ante fuerat, tenuitate eructabatur, uirideſcentem tamen cum inſigni foetore colorem prae ſe ferebat, prout ego quidem optaueram, inminuebatur, tuſſisue mitior euadebat. Quare conſolidandi ſcopo, admiſtis pauca quantitate, quae excretionem facilitarent, hoc infuſum ſuperiori electuario addebam:

Rec. rad. ſymphyt. mai. dr. III.
ari. dr. II.
hb. alchemill.
heder. terreſtr.
millefol.
pyrol.
ſanicul.
ſummit. hyperic.
fl. arnic.
bellid. ana pug. I.
Inc. gr. m. adfund. ſenſim aquae feruidae *q. ſ.*, ut fiat infuſum theiforme, potus *inſtar* communis, calide bibendum.

Leniebatur ſenſim hoc modo morbus; quum uero ab in congrua frigoris admisſione raucedinem perſentiſceret:

Rec. Mucil. ſem. cydon. unc. II.
ſyr. de alth. Fernel. unc. I.
M. quo de ſubinde lambat, quantum placuerit.

Sputi menſtruo ſpatio eiectione tam decreſcente, ut uix libram ſemis quotidie exſpueret, ac tusſis fere omnis abesſet, neque minus univerſalis corpo-

ris

ris macror non ſolum ſubſiſteret, ſed etiam maiori rurſum ui aegrotans donaretur, & bona inſuper ingeſtorum in nutritionem adplicatio fieri quotidie uideretur, medicamina ſeponebat, jamque, paucis hebdomadibus elapſis, omnem mouebat lapidem, ut potuum ope ſpirituoſorum, frequentique corporis ſui in craſſum, pluuioſum, & auſtrino potiſſimum uento, procellae inſtar, eo temporis interuallo, agitatum aërem, expoſitione adſidua, priori morbore ducendo operam nauaret.

Quibus cumulatis tandem diaetae, erroribus factum, ut peracto ſesquianno recidiuam in itinere incurreret, ac in celebri quodam Germaniae emporio, patrios lares adtingere impotens, diem ſupremum, poſt trium hebdomadum phthiſin, febribus putridis nutritam, obiret.

E. quibus, propoſito more, haec elicere uiſum eſt:

1. Fruſtra quaeſiuit Iudaeus noſter beatam in ſpiritu iuniperino uitam. Qui licet uulgari uſu paratus, abſtractitius dictus, ſub nomine *Genevre*, Gallica uoce, heic terrarum notisſimus, a permultis eius helluonibus aliis ſpiritibus uini uariis praeferatur, ac mitior cenſeatur: attamen dum eum ad abuſum ingurgitant (*a*.), adeo, ut librarum trium quatuorue pondus haut raro uno die adtingant, id efficere uidentur, ut ſero tenui e ſanguine educto, reliquum incraſſent, globulos ſanguineos ſumme uolatiles & mobiles reddant, eaque ad celerrimum circulum diſponant, tenuisſima uaſcula corrodantur, & quae huius ſunt infinitae ſequelae aliae. Quibus fieri ſueuit, ut pro differente ſingulorum aeta-

(*a*) Optume hoc monente excell. D. D. Jo. HENR. SCHULZIO, *in praelection, de uiribus & uſu medicam.*, *ad Diſpenſat. Brandenb. pag.* 323.

aetate potatorum, diuerſaque humorum pariter, ac uaſorum indole, & textura, atque *multifario* demum eorumdem temperamento, grauisſimorum iidem nunc acutorum, nunc chronicorum agmine morborum labefactentur, & alii, multos per annos, moleſtisſima nauſea, atque uomitibus matutinis uexentur, alii, ſub falſa pinguedinis ſpecie, cacochemici, ac cachectici euadentes, in pertinaces hydropis ſpecies incidant, calculorum dirisſimo malo excrucientur alii, alii porro ridicula ſane plurimis, aſt uere crudelisſima arthritide, modo uaga, modoque fixa, eiusque multiformibus liberis, podagra, gonagra, cheiragra, glosſagra, malo iſchyadico, &c. per ſatis longum tempus, quid? quod per totam, quae ipſis ſupereſt, uitae ſeriem, detineantur, alii adhaec diuerſis ſpaſmis motuumque conuulſiuorum generibus infeſtentur, atque tandem alii in quaſcumque phthiſeos ſpecies delabantur. Vt adeo mirum uideri non debeat, Henr. Mundium (*b*) ſuo iam tempore haec indignabundo animo exclamasſe: „ Difficile dictu eſt, „ utrum maiori humani generis emolumento, an „ malo fuerit fermentatorum liquorum inuentio; „ fac ſpiritus fatiſcentes inſtaurare, cardiacos es- „ ſe, & ſtomacho utiles: at ebrietatem & crapu- „ lam adferunt, quae ſanitati corporis multum no- „ cent; at magis moribus: nam mores ita mutant, „ ut *Circes* inſtar, homines in belluas transforma- „ re uideantur ".

Ac fere neſcio, annon multibibi iſti ſpirituum comesſatores imitari ſues cupiant, quorum illi, qui a ſpirituum horum deſtillatoribus ſaginantur, plu-

(*b*) *Oper. med. phyſ. commentar. de potu, cap.* 3. *pag. m.* 321.

Digitized by Google

plurimo lardo ac ponderis grauitate abundare adſolent, ac omnibus pene reliquis praeſtare uidentur. Cognoui ſane ex his helluonibus quosdam, qui hinc teſtimonium, plurimi latentis in ſpiritibus alimenti ac nutrimenti, pinguedinem gignentis, petentes, ad homines exinde concludere conati ſunt. Quicumque uero non ignorauerit, ſues recrementis frumenti, poſt deſtillationem abiectis, ueſci, illos autem ipſo abſtractitio ſpiritu, in ſui irreparabile ſaepius detrimentum, abuti, amentes tales & quaſi temulentas ratiocinationes alto ſupercilio ridebit.

2. Vomitoria, quandoque bis, aut ter, congruo dierum ſpatio, & ſufficiente cauſſa urgente, propinata, huiusmodi phthiſicis inſigni commodo fuiſſe, aliquoties expertus ſum, conſpirante mecum MORTONO *Phthiſiolog. libr.* 3. *cap.* 11. *pag. m.* 313. *&* 317.

3. Miratus ſaepe ſum ingentem illam puris, ſingulis diebus ab aegroto reiecti copiam, quae de ſuccipleno eius habitu abunde teſtatur. At diminutio illa, quae a quatuor libris, quotidie exſcreatis, ad libram usque dimidiam ſenſim, aliquot ſeptimanarum interuallo deſcendebat, notatu adhuc dignior uidetur, quo iucundior eadem aegroto noſtro erat, ut inordinatam ſuam uitam eo citius redauſpicari poſſet.

4. Ecquis autem eſt, qui inſignes hercle! corticis Peruuiani uires, ſpecierum pro infuſo uſui adſiduo iuncti, negare uelit? Egregie ſane hiſce corroborantur, quae toties de corticis in phthiſi, & ſcor-

ſeorſim hac eiusdem ſpecie, a uariis in arte prae-ſtantisſimis uiris (*c*.) expoſita ſunt.

5. Eleganter MORTONUS (*d*.) „ omnis „ phthiſis recrudeſcere ſolet; & qui ſemel „ fuit phthiſicus, niſi adcuratisſimum regi-„ men adhibeatur, uel a leuisſima cauſſa in „ eumdem ſtatum redit. Siquidem non tantum „ pulmones, priori morbi inſultu iam labe-„ factati, nouae impresſionis eo magis ſunt ſus-„ ceptibiles; uerum etiam uehementior procliui-„ tas, atque diſpoſitio in hunc morbum, in his, „ quam in aliis comperitur. ". Profecto noſter quum in eum ſtatum ſe denuo redactum conſpiceret, ut omnibus ſub diu negotiis peragendis intereſſe, ſatisque bene, *εὐάρχος* euadens, ubicumque exſpatiari poſſet, id uirium ſibi a natura datum experiebatur, quae multorum annorum ſeriei ſatis agere potuiſſent, obſeruato qualicumque moderato uiuendi ordine. Ac mirum ſane uidetur, poſt tot commiſſos errores diaeteticos, tubercula pulmonum per integrum ſesquiannum intacta delituiſſe, praecipue quum arthriticae periodi de ſanguinis peculiari indole, materiam calcariam ubicumque ſecernente ac infigente, adeoque nouis ſubinde tuberculis gignendis aptiſſima, euidens teſtimonium exhiberent: nouo iterum firmae aegrotantis ſtructurae, qua natura ſua gaudebat, argumento.

O B-

(*c*) Vid. inſtar omnium MORTON *Phthiſiol. l. c. pag.* 314. 317. 322. *ſqq.* Conf. *Obſeruat. noſtr. proxume anteced.*

(*d*.) *l. cit. libr.* 2. *cap.* 6. *pag. m.* 138.

Digitized by Google

OBSERVATIONVM INDEX.

OBSERVATIO I.

Carcinoma utriusque mammae gangraenoſam, lethale. Pag. 9

OBSERVATIO II.

Menſium ſuppreſſio, cum uomitu cruento, femoris contractione ac atonia &c. 14

OBSERVATIO III.

Rabies canina, infantem quadrimulam media hyeme trucidans. 20

OBSERVATIO IV.

Inflammatio uentriculi & inteſtinorum, in ſphacelum tertio die mutata. 25

OBSERVATIO V.

Inteſtinorum, poſt colicam bilioſam, inflammatio. 29

OBSERVATIO VI.

Vertigo ſecundi & tertii gradus; tumor ſublingualium & ſubmaxillarium prope frenulum linguae, &c. 41

OBSERVATIO VII.

Peritonaei dolores, in abſceſſum ſalutarem terminati. 46

OBSERVATIO VIII.

Ex haemorrhagia uteri abortus, mors. 56

OBSERVATIO IX.

Cauſus, puerperae quinto morbi die funeſtus. 58

OBSERVATIO X.

Cauſus periodicus, cum peripneumonia. 66

OBSERVATIO XI.

Cauſus periodicus, cum animi deliquiis, diarrhoea, &c. in puerpera. 76

OBSERVATIO XII.

Purpura cum febri, ex epidemiarum remittentium, tertianarum, duplicium, cholera humida ſtipatarum, genere. 86

OBSERVATIO XIII.

Morbilli, cum remittente, tertiana, duplici, ac cholera humida. 92

OBSERVATIO XIV.

Cephalaea idiopathica funeſta. 102

OBSERVATIO XV.

Tumor faucium & uuulae pituitoſus, in inflammatorium mutatus. 110

OBSERVATIO XVI.

Febris periodica tertiana, duplex, ex epidemiarum genere, cum artuum ſuperiorum conuulſione. 115

O B.

OBSERVATIO XVII.
Febris periodica tertiana, duplex, cum cholera humid
epidemiarum genere. Pag
OBSERVATIO XVIII.
Febris continua ardens, tertiana, duplex, ex epidemiaru
nere, cum cholera humida, peruicaci cephalalgia, &
OBSERVATIO XIX.
Inflammatio, ſcirhus, cancer, ſphacelus portionis inteſtini
una cum ſectione cadaueris.
OBSERVATIO XX.
Febris remittens tertiana, duplex, cum nauſea, in ſene
griſco.
OBSERVATIO XXI.
Muſca, in aurem uolans.
OBSERVATIO XXII.
Varices in utraque tibia, altera rupta, altera diſcuſſa.
OBSERVATIO XXIII.
Haemorrhoïdes externae, ultra modum profuſae, in ſen
OBSERVATIO XXIV.
Lumbrici in uentriculo & inteſtinis, grauia mala excitante
OBSERVATIO XXV.
Apoplexia ex ira & uermibus.
OBSERVATIO XXVI.
Anaſarca, aſcites, hydrocele, in puero:
ubi ſimul
Anatome feminae, poſt frequentem peracenteſin aſcite de
tuae.
OBSERVATIO XXVII
Anaſarca, hydrocele, praegreſſa quartana, in puero 12
norum.
OBSERVATIO XXVIII.
Continuatio obſeruationis praecedentis, exhibens febrim te
nam intermittentem.
OBSERVATIO XXIX.
Contuſio faciei ſiniſtrae, ab ictu equi.
OBSERVATIO XXX.
Contuſio pectoris & hypochondrii ſiniſtri, ab arietatione bouis
OBSERVATIO XXXI.
Conuulſio ſepti transuerſi.
OBSERVATIO XXXII.
Pleuripneumonia ſiniſtri lateris, a ualida purgatione produ
in haemoptoën, tandemque in phthiſin funeſtam t
euns.
OBSERVATIO XXXIII.
Phthiſis pulmonalis, e ſuppreſſa arthritide.

De Boekebinder gelieve de 3. Tab. hier achter te binde

Digitized by Google

Digitized by Google

OBSERVATIO XVII.

Febris periodica tertiana, duplex, cum cholera humida, et

Digitized by Google

Digitized by Google

OBSERVATIO XVII.

Febris periodica tertiana, duplex, cum cholera humida, ex

Digitized by Google

Digitized by Google

OBSERVATIO XVII.

[illegible] cum cholera humida, ex

[illegible] 119

Digitized by Google

Digitized by Google